

LATIN STORIES

for READING *or* TELLING

TO WIT

BEASTS, FOOLS *and* WISE MEN

THE FAMOUS DINNER-PARTY OF TRIMALCHIO

HORACE'S ADVENTURES ON

THE APULIAN HILLS

With an Appendix of

GREEK & LATIN PROVERBS

By W. H. D. ROUSE

Late Headmaster of the Perse School, Cambridge

BASIL BLACKWELL OXFORD

1935

**PRINTED IN GREAT BRITAIN IN THE CITY OF OXFORD
AT THE VINCENT PRINTING WORKS**

CONTENTS

	INTRODUCTION	7
I	BESTIAE	13
II	STULTI ET SAPIENTES	39
III	FARRAGO	55
IV	CENA TRIMALCHIONIS	75
V	SIC ITUR AD ASTRA	99
	GREEK PROVERBS	121
	LATIN PROVERBS	129

INTRODUCTION

THESE stories may be used for reading in the usual way. They are meant to be told, however, not even read aloud but told, by the master ; he may have a few notes on his desk, but to get the greatest effect, the story must be told as something quite new, a pleasant secret which he has discovered. When he has got into the way of it, he may easily make his own stories, for there is plenty of material in the many collections of fables and animal-tales, particularly those from the East.

The funnier they are, the better. Even Aesop is a novelty to vast numbers of children : I have found those who knew him not amongst graduates in honours of Cambridge University, and successful candidates for the Indian Civil Service. But even if the boys do know the tales, it does not matter, for they are pleased to recognise an old friend ; and you can trim him up with conditional constructions, and oratio obliqua, and all the grammarian's bugbears, until by this treatment the bugbears become food for banter.

Such tales are used as the means of teaching Latin Composition for the Fourth and Fifth Forms. I have found by experience that they are quite enough to lead up to Sixth Form work, and that such a book as Bradley's *Arnold* is less effective. But of course they must be graduated, to suit a given stage of knowledge : simple at first, and driven home by question and answer, and later, with those constructions which we desire to teach repeated again and again. After telling, they are to be written out in the boys' own words, with a warning (if necessary) to bring in such and such a construction as often as possible.

Similar stories may be told from pictures, the picture being set upon the wall, or drawn on the board, or in the boys' hands. The writing-out may be done on the spot, after the telling, or at home as home work.

I will give some examples ; and first, simple syntax with questions, and answers in chorus. The chorus-work is necessary, to make the boys use the words they hear, and the answer-

form compels them to use their minds at each step, so as to bring out the point, or to vary the grammar according to the person. The practice also makes them speak out, and when they have become used to their own voices sounding loudly together, it is easy for them to make them sound loudly alone. It teaches them also the proper pauses for phrasing ; and, it is a curious fact, that a master is soon able to tell from the sound if all are speaking, and he can easily spot any boy who just opens his mouth, or does not even that. The master must beat time to the phrasing, so as to prevent gabble, and to ensure keeping the quantities. In the boys' answers, the whole sentence must be repeated, not one word alone.

Let us take the first story, and recite it simply, calling for answers ; this takes twenty to thirty minutes, and the rest of the time may be given to writing it out from memory.

Master. Duxit quondam—in matrimonium—leo—volpem.

Quis duxit volpem in matrimonium ?

Chorus. Leo—duxit—volpem—in matrimonium.

M. Quem—duxit—leo—in matrimonium ?

Ch. Volpem—duxit—leo—in matrimonium.

M. Quo—duxit—leo—volpem ?

Ch. In matrimonium—duxit—leo—volpem.

By this time, the words ought to be known ; but perhaps a boy does not know one of them, and asks, say,

Puer. Quid valet matrimonium ? *

(or Non intellego matrimonium.)

M. Scribe in tabula.

[Scribit **matrimonium.**]

M. Exterge syllabam **um.**

[Exterget : *stat* **matrimoni.**]

M. Nescis quid sit hoc ? Anglice ?

P. " Matrimony."

M. Ecce : nunc intellegis, credo.

P. Intellego.

Or another says :

P. Non intellego volpem.

* I omit the pauses henceforward : but they *must* be used.

- M. Volpes animal est, similis cani, sed habet magnam caudam.
 P. Non intellego.
 M. Ne nunc quidem intellegis ! Scis quid sit canis ?
 P. Scio : bau, bau.
 M. Scis quid sit equus ?
 P. Scio.
 M. Eques ? Non intellegis ? Is qui in equo equitat est eques.

If this will not do, he makes his right first and second fingers ride on his left thumb : then adds,

- M. Equites in equis equitantes currunt, volpes fugit.

making one hand gallop after the other. Then—

- M. Natus est catulus. Quis est natus ?
 Ch. Catulus est natus.
 P. Non intellego catulus.
 M. [*vel alter Puer, si quis scit*]. Quasi filius leonis, aut canis, aut similium animalium.
 P. Intellego.
 M. Catulus forma patrem revocabat. Quo revocabat patrem ?
 Ch. Forma revocabat patrem.
 P. Non intellego revocabat.
 M. Formam eandem habebat ; erat quasi canis alter ipse.
 P. Intellego.
 M. Catulus colore revocabat patrem. Quo revocabat patrem ?
 Ch. Colore revocabat patrem.
 M. Catulus unguibus revocabat patrem. Quo revocabat patrem ?
 Ch. Unguibus revocabat patrem.
 M. Nunc, quo revocabat patrem ? Tribus signis [*holds up three fingers*].
 Ch. (1) Forma, (2) colore, (3) unguibus revocabat patrem.
 M. Matrem voce revocabat. Quo revocabat matrem ?
 Ch. Voce revocabat matrem.
 M. Nunc coniungamus in unam sententiam.

- Duxit leo volpem—natus est catulus.
 Quae coniunctio ?
- P. Et natus est.
- M. Aliter ?
- P. Tum—deinde—inde—
- M. Vel Relativum ?
- P. Qua natus est catulus.
- M. Bene. Perge : natus est catulus—forma et ceteris ?
- P. Forma et colore et unguis—
- M. Bah ! eat in malam rem istud “ et ”.
- P. Qui forma colore unguis revocabat patrem.
- M. Quando duxit ?
- P. Aliquando.
- M. Aliquando, quondam, olim. Dic igitur totam sententiam.
- P. Duxit aliquando in matrimonium leo volpem, qua natus est catulus, qui forma et colore et unguibus . . .
- M. Omitte et : eat in malam rem istud et.
- P. . . . qui forma unguibus colore patrem revocabat, matrem—
- M. Coniunctio ?
- M. Et . . .
- Ch. Bah ! eat in malam rem istud et ! (*risus*).
- P. Sed . . .
- M. Aut tamen ?
- P. . . . matrem tamen . . .
- M. Non, voce tamen . . .
- P. Voce tamen matrem revocabat.
- M. Omitte “ revocabat ”, non est necessarium.
- P. . . . voce tamen matrem.
- M. Ita. Quo brevius, eo melius.

You see how the sentences are built up ; and how the master can introduce phrases which are explained by the context and by his tone, even though they may be new. These may be explained in detail, if any one asks, as some one will do sooner or later.

Similarly, we may lead up to accidit and other such constructions. The process will be

- M. Inter ludendum vocem emisit. Accidit— ?
 P. (*with or without leading*) Accidit ut vocem emisit.
 M. Quid dicebant leonini catuli ?
 P. Quid est hoc ?
 M. Vel “quid rei est, quid hoc bonist ” ? (*answers as usual*).
 M. Dicebant ?
 P. Rogabant, quaerebant.
 M. Non eum rogabant, sed inter se rogabant, alius alium ;
 quaerebant inter se. Indirecta quaestio ?
 P. Quaerebant inter se quid rei esset.
 M. Quidnam rei esset (*answers*).
 M. Talem nemo audivit post hominum memoriam.
 P. Post leonum memoriam ! (*risus*).

This was really a boy's contribution, which the master had not thought of ; and many a time the boy suggests a good thing which the master has not thought of.

Now suppose we want to practice some construction, such as the conditional sentence. The master begins as before, and the first sentence is built up. Then he says,

- M. Si non duxisset in matrimonium, non natus esset catulus.
 Si non vocem emississet, non rogavissent.
 Si non rogavissent, leonem non allocuti essent.
 Si non allocuti essent, non respondisset.
 Si non respondisset, non scivissent.
 Si vocem non emittemus intempestive, non erit nobis
 malum.

Other constructions such as *Non dubium est quin*, *Haud scio an*, or *oratio obliqua*, can be practised in the same way.

Do not imagine that these repetitions are a bore. On the contrary, after one or two, they become a joke, and the more they are, the funnier the joke. That is a principle well known on the stage ; good examples may be seen in Plautus (*Rudens* 1212 foll., *licet*, 1269 foll., *censeo*).

There is wide scope, you see, for the master's ingenuity, almost no limit to what he can do with these simple stories. At first, he may be slow, and his preparation may cost him labour and time ; but before long, all will become easy, and he will be able even to do the joke offhand. But preparation is never wasted.

At later stages, the story may be told with less and less of questioning, or with none at all, and left for writing out at home. No notes are to be taken, except the new words written on the board ; all else must be done from memory, but for a time they may be asked to summarise each scene, and may be allowed to write down their summaries. Thus :

1. Leo volpem duxit in matrominium.
2. Volpes habebat volpinam vocem.
3. Volpes edidit vocem.
4. Leonini catuli sciebant eum esse non leonem.
5. Silentium est bona res.

Or again, the master may dictate a series of such sentences himself, the sum of a story, and bid the boys write it up out of their own heads.

I have added to the stories, scenes from Trimalchio's dinner. These have been used like the rest, as stories to tell, but they are more difficult, and need to be worked up by the master to suit his needs. But they present so remarkable a picture of the self-made vulgarian of Roman times, and one so like our own, such vivid character-sketches, and side-lights on ancient society, that I think they are well worth attention. This part may be used as matter for reading, as it stands. The original has other points of interest, especially the language ; for it is the vulgar language of uneducated people, and full of mistakes, which are as amusing as those of Dickens's characters. Such mistakes have been corrected in the text.

I have added also what may have happened to Horace, when he wandered outside the door of his good old Nanny, Pollia. For I decline to believe that Horace, the fastidious artist, would have used Appŭlus and Āpŭlia in successive lines ; and I decline to believe that Horace the poet would have said that he was in Apulia and outside Apulia at the same time ; and I do not allow editors the liberty to disregard the reading of the best manuscripts in order to please their own preconceptions. If Horace said that Pollia (or Pullia) was his nurse, I am content to believe him in preference to his editors. Those who prefer the editors, will perhaps indulge me with my whim for the nonce, and I am sure boys will not care two straws.

I

BESTIAE

I. CATULUS VOLPINUS

DUXIT quondam in māt̄rimōnium leō volpem, quā nātus est catulus ; quī formā, colōre, unguibus, patrem revocābat, vōce tamen mātrem : crēderēs igitur vērū eum leōnem esse, dummodo silēret. Hīc cum leōnīnis catulīs lūdēbat, et aliquamdiū crēdēbātur is esse, quī vidēbātur : sed accidit quondam, ut inter lūdendum, irā percussus, vōcem ēmiserit stridentem, argūtā, horrendā. Quā vōce tam inūsitatā attonitī, cēterī catulī quaerēbant inter sē, quidnam reī esset ? Quōrum ūnus leōnem allocūtus, quī haud procul erat, “ Leō venerande,” inquit, “ ecce mōnstrum : ille enim formam colōremque et cētera tamquam leōnīnus catulus vidētur, vōcem tamen ēmittit quālem nēmō audivit post leōnum memoriā.” Cui respondit leō, “ Vera dīcis tu quidem, māt̄er enim est volpēs.” Tum ad alterum versus “ At tū,” inquit, “ si vōcem ēmittēs, manifestus eris omnibus : silendum est tibi igitur.” Quibus dictīs catulus, caudam remulcēns, abiit. Monet nōs autem haec fābula, nē vōcem ēmittāmus intempestivē.

II. TURDUS ET CICINDELA

TURDUS volucris est fuscus, quī vōcem habet liquidam et canōram : cicindēla vermis est, quī lūcem ex caudā ēmittit clārisimam.

Turdī, sic ut cēterī volucrēs, vermibus vescuntur.

Turdī grātiās agunt deīs, quod lūmen hōc in caudīs cicindēlarum posuērunt, quō facilius ēscam suam inveniant. Utrum idem faciant cicindēlae, necne, nesciō.

Aliquando turdus aliquis cicindēlam procul cōspexit splendentem.

Quem ubi vīdit advolantem cicindēla, hīs verbīs adloquitur : “ Ō turde,” inquit, “ nōlī festināre, et aliquid cōmodī percipiēs. Ego enim una sum cicindēla, at sī mē sequēris, mōnstrābō tibi ubi sint sexcentae.” Dūcit eum igitur quō colōnī quīdam ignem incenderant. Mōnstrat scintillās.

“ Ecce,” inquit “ calefaciunt sēsē multae cicindēlae : hās ubi ēderis, aliās tibi mōnstrābō.” Continuō advolat turdus, exsorbet quāsdam ex scintillīs. Quae cum guttur laesissent, exclāmat, “ Est in cicindēlā periculum!” At cicindēla, “ Valē,” inquit : “ vincit ignōrantiam sapientia.”

III. BESTIARUM CONVIVIUM

VĒNIT aliquandō bestiīs in mentem, epulīs lautissimis excipere rēgem suum, leōnem ; nōlēbant tamen volpem vocāre, nē quid molestī īniceret. Volpēs autem, certior facta, oculīs demissīs cum leōnem petiisset, “ Rēx maxime,” inquit, “ doleō quod cīvēs tuī coniuratiōnem in tē fēcērunt : constituērunt enim epulīs factīs tē inter edendum interficere ; sed mē, quī fidēlem esse cognōvērunt, cāvērunt nē vocārent.” Ad quae leō, “ Èheu,” inquit, “ quid faciāmus, ut impedimentō sīmus huic cōnsiliō ? ” Cui volpēs, “ Tū quidem,” inquit, “ ventūrum tē prōmitte ; at ego mē cēlābō propius, et cum in eō erit ut aggrediantur, sīgnum dabō.” Vēnit diēs epulārum, conveniunt summā laetitīā : saltat pāvō, canit cucūlus, dant vōcem omnēs ; mox tigris, cōsul eius annī, corōnam flōrum ad rēgem apportat, sicut mōs erat. Continuō volpēs ululat. Nec mora : impetum facit leō in tigrim, quem ūnō ictū trucīdat, cēteri dant terga, leō īsequitur simulque volpēs, quī exclamāt, “ Ecce prōditōrēs ! ” Tum demum cōgnōvērunt bestiae volpem esse fontem et orīginem malōrum. “ Utinam meminissēmus,” exclāmant, “ numquam periculōsiōrēm esse inimicum, quam cum eum nōn videāmus ! ”

IV. LEO ET VOLPES

LEO, rēx silvārum, subiectis suis nūntiāvit, omnēs sē interfec-
tūrum, nisi aliquis fābulam sibi sine fine narrāvisset. Quō
nūntiātō, cum omnēs verērentur, nē diem obirent suprēmam,
volpēs cōsōlāta est: nē timērent; sē servāturam quidquid
esset animālium. Cum igitur dūxissent eam ad leōnem, rogā-
vit leō, utrum fābulam sine fine narrāre posset? Cui volpēs,
“ Possum,” inquit. Ad haec leō respondet, “ Incipe igitur,”
Tum volpēs, “ Rogō tē primum, Ō Rēx, quid sibi velit fābula?”
Respondet leō, “ Scilicet narrātiuncula, quae aliquid factum
dēscribit.” Hōc audītō, volpēs incipit in hunc modum.

“ Piscātor nāve vectus exiit, ut piscārētur: rētia autem
maxima in mare dēmittit, inclūdit piscium māgnūm multitūdi-
nem; sed ubi in eō erat ut extraheret, subitō, dīscissō līnō,
forāmen aliquod factum est in rētibus, et ēvāsit ūnus piscis.”
Quibus dictis, dēsiit dīcere volpēs. At leō rogat, “ Quid
deinde?” “ Deinde,” inquit, “ ēvāsit alter.” “ Quid deinde?”
“ Deinde ēvāsit tertius.” Cum hoc modō saepius respon-
disset, irātus leō dīcit, “ Quandō finem faciēs fābulae?”
Respondet volpēs, “ Nempe haec fābula nōn habet finem: et
prōmisisti, nōn tē nōbīs nociturum, sī quis fābulam sine fine
dīxisset.” “ Prōmisī,” inquit, “ prōcul dubiō: nam nisi
prōmississem, tē saltem, procul dubiō, interfēcissem.”

V. DE CORVO ET RANA

CORVUS quaerēbat ēscam : quī cum rānam pinguem cōspexisset, rōstrō comprehēnsam ad fāstīgium tectī advexit, ut sēcūrus comēset. Sed tantum aberat ut timēret rāna, ut etiam rīdēret. Cui corvus, “ Quid rīdēs ? ” At illa : “ Nihil ad rem, Ō Corve : sed subitō mihi in mentem vēnit, patrem meum forte habitāre haud procul ; quī cum ferōcissimus atque impigerrimus sit, non dubium est, quīn poenās dē tē sūmptūrus sit mortis meae.” Ad haec corvus, nē poenās daret veritus, in aliud fāstīgium rānam advexit : quae tantum aberat ut timēret, ut etiam rīdēret. Cui corvus, “ Quid etiam rīdēs ? ” At illa : “ Nūgās, Ō Corve ; nam vēnit mihi in mentem, hīc habitāre avunculum meum, qui etiam patre meō est fortior : hīc nōn est dubium quīn poenās dē tē sūmptūrus sit mortis meae.” Quibus dictīs corvus, etiam magis veritus nē poenās daret, fāstigiō prorsus relictō, humī dēscendit, prope ad puteum aquae. Continuō rāna, “ Ō Corve,” inquit, “ vereor ne rōstrum tuum sit hebetius : nōne ante exacuēs, quam comedēs mē, nē doleam magis quam oportet ? ” Haec sententia cum corvō placēret, ut acueret rōstrum, paullisper omisit rānam : quae, nullā morā factā, dēsilit in puteum. Mox corvus rānam in puteō cōspicit : “ Ō rāna,” inquit, “ acūtum iam est rōstrum : exī, precor, vocō tē ad cēnam.” Cui rāna, “ Doleō equidem, Corve, sed nōn possum scīlicet ascendere per mūrōs puteī : sī cēnam quaeris, ego te vocō.”

VI. VOLPES ET PAVO

PĀVŌ est avis, cūius cauda oculīs est obsita, sicut caelum stēllīs. Pāvō in arboris rāmō sedēns, volpem cōspexit, quae crūribus posteriōribus nīxa, oculōs ad caelum verterat. Cui pāvō, “ Salvē,” inquit, “ volpēcula mea : quid facis ? ” At volpēs, “ Numerō equidem stēllās.” — “ At quot sunt stēllae ? ” — “ Tot ferē sunt in caelō stēllae, quot in terrīs stultī.” — Ad haec pāvō, “ Sed utrum numerum maiōrem putas ? ” Respondet volpēs, “ Si rogās, respondeō, stultōs plūrēs esse vidēri, ūnō.” — “ Quis autem ūnus iste ? ” — “ Ego, pecus stultissima.” — “ At quōmodo tū stulta, Volpēs mea ? ” — “ Quia stēllās in caelō numerō, cum possim numerāre oculōs in caudā tuā, Ō pulcherrime pāvō ! ” Nempe illaqueāre voluit pāvōnem, ut illequeātō vescerētur. At pāvō, cum fraudem intellexeret, “ Minimē vērō,” ait : “ non ideo stulta es, quamvis ōrātiōnī tuae neque caput sit neque pēs, ut aiunt : sed ob hōc stulta es, quod crēdis mihi verba tē datūram.” Quibus auditīs, abiit volpēs, dum exclāmat : “ Persōnā detractā, opus est aut pedibus aut ālīs.”

VII. VOLPES ET LUPUS ✓

VOLPĒS, quae apud ōram maritimam habitābat, lupō obviam occurrit, quī nunquam cōspexerat mare. “ Quid tandem,” inquit, “ est hōc quod mare dīcis ? ” Cui volpēs, “ Aquae,” inquit, “ campus maximus, quī haud procul est ā mē.” Lupus respondet: “ An est sub diciōne tuā ? ” Ille, “ Quidnī ? ” inquit. Hīs attonitus lupus, “ Vīn,” inquit, “ mōnstrāre mihi mare ? ” Ad haec volpēs, “ Libentissimē,” inquit, “ mōnstrābō, sī sequēris.” Sequitur igitur lupus volpem, et ecce maris aestus accēdit refluitque: at volpēs, quandōcumque accēdit, “ Huc ades,” inquit, “ Ō mare ! ” dumque refluit, “ Abī,” inquit. Deinde ad lupum versa, “ Cōspicis,” ait, “ pārēre mihi mare, quidquid iubeam.” Deinde mare allocūtus, “ Donec ego te aliud facere iubēbō, accēditō et refluitō.” Quod cum summā admirātiōne vidisset lupus, “ Licetne,” inquit, “ dēscendere in aquās ? ” Cui ille, “ Licet, quoad volēs: at nōlī timēre, dēscende.” Nec mora: dēscendit in aquās lupus, quem mox fluctus māximus submersum exanimat: corpore autem in lītus ēiectō, volpēs laetō animō vescitur.

VIII. PAVO ET TESTUDO

PĀVŌNĒS pulcherrimī sunt volucrēs, et perītissimī artis saltandī. Quōrum ūnum, quī haud procul ā lacū quōdam habitābat, in herbā saltantem cōspexit testūdō, quae in eōdem lacū habitābat. Quō vīsō, “ Salvē,” inquit, “ Pāvō optime : utinam tēcum in herbā saltārem ! ” Cui pāvō respondet, “ At nōn tē aptam esse crēdō ad saltandum : tam brevia scīlicet sunt crūra tua, ut vix possis saltāre, opīnor : testūdō in pedibus posteriōribus stans rēs est rīdiculōsior.” Ad haec testūdō : “ Superbum tē esse videō, quī pennīs variīs ornātus sis : sed mementō, precor, meam quoque testam pulcherrimīs variātam esse colōribus. Quod autem ad gressum attinet, quamvis nōn sim aeque gracilis āc tū, tamen fēstīnō lentē.” Quibus audītīs, veritus pāvō nē testūdinem verbīs suis laeserit, respondet, “ Exī, testūdō, sī vīs mēcum saltāre : quod fēlix faustumque sit.” Exit igitur illa, sed ubi in eō erat ut saltāret, ecce vēnator. Cūius adventū pāvō ālīs passīs in summam arborem āvolat : testūdō autem valgīs pedibus in lacum currēns ā vēnātōre capitur. Unde manifestum est, dēbere nos suō quemque locō contentum esse.

IX. QUOMODO LEPUS LABRUM DIFFIDERIT

LEPUS in viā ambulāns Tigrim māximum cōspexit : quī visū laetus exclāmat, “ Hūc ades, amīce, ut comedam tē.” Cui lepus, manibus supīnis, “ Nōlī,” inquit, “ mī avuncule, comēsse mē, quī parva sum pecus ; sī enim mihi parcēs, spondeō mē dūctūrum tē ad ēscam māiōrem.” Hāc pactiōne factā, prōgrediuntur. Ad vesperem tamen Lepus strepitum labrīs facit, quasi sī ēsset bellāria quaedam. Ad haec Tigris, “ Quid ēs tu ? ” inquit. Cui Lepus, “ Oculum,” inquit, “ dextrum, unguibus extractum : est autem exquisītissima ēsca.” Quibus audītis, et Tigris suum oculum unguibus extractum comēst, multō cum strepitū labrōrum. Mox idem fit de alterō oculō : iamque Tigris caecus est factus, Lepus autem, pecus callidissima, dūcit eum ad locum praecipitem. Hīc cum cōsēdisset Tigris, Lepus alloquitur : “ Frīgēsne, amīce ? Utrum ignem incendam ? ” “ Incende, precor,” inquit : et Lepus ignem ita incendit ut ē regiōne sit scopulī. Mox Tigris, igne combūstus ferē, et īncius ubi esset, dē rūpe dēcidit. Lepus autem tantopere rīsit, ut labrum superius diffiderit : ex quō tempore diffissum manet.

X. FELES SANCTA

ALIQUANDŌ in terrā aliquā, sed ubi gentium nesciō, sōricum grex apud flūmen in latebrā suā habitābat : quōs cum fēlēs aliqua vīdisset, quia ūniversōs vincere nequībat, fraudem commenta est hanc. Cottīdiē māne haud procul a latebrīs sōricum, versō ad sōlem ōre, aurem nārībus hauriēns, in ūnō pede cōstābat. Quam ita stantem cōspicātī, mirārī sōricēs, quidnam esset reī : mox agmine factō, adveniunt, veniāque datā interrogant. “ Quid est tibi nōmen ? ” inquit. “ Est mihi nōmen,” inquit, “ Sacrosānctae.” — “ At, Ō Sacrosāncta, quārē in ūnō stās pede ? ” “ Quia,” inquit, “ ita sum sāncta, ut sī in utrōque stem, collābatur orbis terrārum.” — “ Quārē autem ōre apertō stās ? ” — “ Quia aere vescor, neque edō aliud quicquam.” — “ Dēnique quārē ōs vertis ad sōlem ? ” — “ Quia colō venerōque sōlem.” — “ O Fēlem piissimam ! ” exclāmant. Ex quō tempore, cottīdiē cum proficiscerentur, singulī unguibus supīnis summā reverentiā salūtābant. At fēlēs illa cottīdiē, cēteris praetermissis, novissimum quemque unguibus comprehēsum vorāre, deinde sicut antea in ūnō pede stāre, speciē pietātis factā. Aliquamdiū rēs ex sententiā ēvēnit ; sed tandem sōricum rēx, cum gregem in diēs minōrem fierī vidēret, neque causam intellegeret, suspicābātur nē fēlēs esset cōnscia. Postrīdiē igitur sē in novissimō agmine posuit, unde vidēret quid fieret. Postquam cēterī salūtātiōne facta praeteriērunt, cum eum fēlēs arripere vellet, periculum effūgit, dum exclāmat, “ Ō animal perditissimum ! haecine tua pietās ? Itaque moriēre ” — et saltū datō, dentēs infīgit in faucēs eius. Quō sonitū auditō, reversī sōrices ūniversī in eam sē praecipitant, sanguinem carnēs ossa hauriunt, dōnec nē tantulum quidem relictum est de fēle sacrosānctā.

XI. TIGRIS ET AGRICOLA ✓

AGRICOLA quī per agrōs ambulābat, cōspexit subitō tigrim, quem in caveā ferreā inclūsum tenēbant pāgānī, quia tam cupidus erat carnis hūmānae. Exclāmāvit, “ Ō bone vir, liberā mē ! ” — “ Sed sī tē liberābō, mē dēvorābis. ” — “ Minimē vērō, nōn enim immemor sum beneficiōrum : per tē deōs orō, liberā mē ! ” Liberāvit igitur tigrim agricola ; continuō in eum tigris impetum facit, ut dēvoret. — “ At prōmisistī te nōn fore immemorem, neque mē dēvorātūrum ! ” — Cum ita porrō disputāvissent, hōc conventum est, ut primum quemquam iūdicem facerent, utrum tigris eum dēvorāret, necne. Itaque volpem quam vident rogant, quid sit faciendum. At illa, “ Quid dīcis ? tē tigrim liberāsse ? ” — “ Maximē. ” — “ Itane vērō ? ” — “ Ita enimvērō. ” — “ At nōn intellegō. Unde, precor ? ” — “ Ā caveā. ” — “ Quānam caveā ? At nōn fieri potest ut intellegam, nisi ipsum vidēbō locum. Mōnstrāte igitur. ” Ad caveam ūnā prōgrediuntur. “ Ubi tū eras, agricola ? ” — “ Hīc. ” — “ Et tū, tigris ? ” — “ In caveā profectō. ” — “ Dā precor veniam, stupidior sānē sum, quōmodo erās in caveā ? ” — “ Ecce. ” — “ Sed quārē nōn exivistī ? ” — “ Porta prohibēbat quōminus exirem. ” — “ Quōmodo vērō ? An claudī potest porta ? ” — “ Potest, ecce. ” — “ Etiamnunc nōn bene liquet, nam ūnō impulsū aperīrī potest. ” — “ At sērā conclūditur sic. ” — “ At nunc intellegō. Nunc clausa est ; tū sī sapis, non iterum aperies ; et tū, crēdō, diū expectābis, donec alter tam stultus erit ut aperiat. Valēte. ”

XII. NUGAE, TRICAE, QUISQUILIAE

VĪDĪ equidem duōs hominēs, alterum caecum, alterum oculis carentem, quī servābant dē caelō. In caelō autem vidēbant duās aquilās, alteram mortuam, alteram sine vitā. Hārum aquilārum altera alteram allocūta, “Ecce,” inquit, “vēnātōrēs, quī vēnārī nesciunt : cum autem praedam cupiant, redēmus nōs ipsās.” Dēmīsērunt igitur sēsē in duōs urceōs, quī ignī impositī erant : alter cōnfractus est, alter nullum habēbat fundum. Cum primum aqua calida esset, vocāvērunt aquilae bene coctae hominēs ad cēnam : sed nōn advēnērunt, alter enim surdus erat, alter aurēs nōn habēbat. Sed audīvērunt alterī duo, quōrum neuter movērī potuit, alter enim captus pedibus erat, alter nullōs habēbat pedēs. Hi certāmine factō, ad cēnam accurrunt ; alter alterum vīcit, sed uterque pervēnit ad eundem locum ūnō et eōdem tempore. Fīnis hīc est fābulae quae neque pedem habet nec caput.

XIII. VOLPES ET GALLUS

GALLUS aliquandō lacertōsus, rubentī cristā, rōstrō brevī et acūtō, oculīs nigrīs, paleā rubrā, collō variō, femoribus pilōsīs, crūribus brevibus, unguibus longīs, caudā māgnā, pulcherrimus omnium gallōrum, cum gallīnā suā beātam vītam dēgēbat. Semper ante lūcem canēbat, semper gallīnae optimās ēscās dabat. Sed prope in silvā habitābat volpēs callida, quam appropinquantem cum aspexisset gallus, valdē perterritus est. At volpēs, “Cūr timēs,” inquit, “amicam tuam? Nam ideō vēnī, ut tē audīrem canentem: habēs enim vocem dīvinam tū quidem. Precor igitur ut aliquandō canās.” Gallus blanditiās auscultāns ita deceptus est, ut in digitīs sē arrexerit, et oculīs clausīs māgnam vōcem ēmiserit. Volpēs occāsiōne captā, gallī collum ōre corripit, et in tergum eum reiectum domum reportat. Quō visō, colōnī agricolaeque exclāmant, “Heu, ecce volpēs!” et concurrunt ut auxilium dent. Tum gallus, “Sī ego tū essem,” inquit, “Ō volpes, iubērem hōs scelerātōs ire in malam rem: tē enim praedam tuam ēsūram, etiam sī hī nōlint.” Respondet volpēs, “Bene suadēs tu quidem,” sed vix apertō ōre, māgnō nīsū ēlapsus, gāllus in arborem ēvolāvit. Sed tantum aberat ut dē rē suā dēspērāret volpēs, ut exclāmāret, “Ō, peccāvī, Ō amīce, quod terrēre tē voluī: iocus erat meus. Hūc ades, et dīcam, quid in mente habuerim.” Cui gallus, “Grātiās,” ait, “agō tibi māximās: sed sī mē bis dēcipiēs, eam equidem dīrectus.”

XIV. ELEPHANTUS ET SARTOR

ELEPHANTUS qui m̄ximō est corpore, idem est mente ferē calidissimā : dē quō fābulam narrātūrus sum. Solēbat aliquandō elephantus quīdam cottīdiē praeter tabernam iter facere, ubi sartor vestīmenta sarciēns sedēbat. Hīc sartor, homō malevolus, cum elephantum praetereuntem vidēret, facētum ratus, sī molestum sē omnibus praebēret, occāsiōne datā, acū suā nāsū elephantī pupugit. Irātus igitur elephantus tum quidem nihil fēcit, sed cōnsilium hominis pūniendī commentus est. Namque cum manum in lacum dēmīssam aquā complēvisset, vespere ubi praeter tabernam sartōris ībat, subitō omnī cōpiā aquae hominem perfūdit. Itaque homō ā bestiā doctus est, nē ultrō innocentī sē molestum praebēret.

XV. GALLUS ET GALLINA

GALLUS cum gallinā colloquēbātur: caelumque suspiciēns, “Sī,” inquit, “caelum illābātur, alaudis vescī possimus.” Hōc exaudivit canis, crēdebat autem dīxisse caelum illapsūrum: itaque terrōre percussus, incitātō cursū aufūgit, nē in sē caelum illāberētur. Quem curriculō currentem aspexit volpēs; quae mirāta, “Quō fugis?” inquit. At ille, “Quōquō poterō: illābētur enim mox caelum!” Quibus audītis, volpēs et ipsa fugit. Volpem fugientem aspicit bōs, quae idem rogāvit, et eōdem responsō datō, fūgit cum cēteris. Hoc modō equus, asinus, elephantus, tigris, leō, omnēs aufugiunt: fugientēsq̄ haec turba animālium cum māgnō mūgītū, omnēs agricolās perterruērunt. At ūnus ex agricolīs, leōnem allocūtus, “Quō fugis?” inquit. Cui ille, “Festīnā, ō stultissime: caelum mox illābētur!” At ille, “Quis ita dixit?” — “Tigrim rogā.” Tigris rogātus iussit elephantum rogāre: hīc autem asinum, asinus equum, equus bovem, bōs volpem, volpēs canem, dēnique canis rem refert ad gallum. Agricola igitur ad eum locum reversus, ubi gallus erat, gallum cum gallinā velut anteā cōmiter colloquentem offendit. “Num tū,” inquit, “caelum illāpsūrum dīxistī?” “Egone?” respondit, “Minimē vērō: dixi equidem, sī caelum illāberētur, fore ut alaudis nōs vesceremur.” Hīs vērbīs tumultus sēdātus est: et alius alium ob stultitiam obiurgat.

XVI. PSITTACI DOLUS

PSITTACUS avis est viridī colōre, incurvō rōstrō, quae summā sollertiā hūmānam imitātur vocem. Erat autem psittacus quondam, caveā inclūsus, quī captivitātis impatiēns, ut sē liberāret, fraudem commentus est hūiusmodī. Neque cibum edēbat nec aquam pōtābat, sed humī prōstrātus, corpore rigentī, oculis clausīs, simulāvit sē esse mortuum. Cūius cum dominus hanc speciem psittacī cōspexisset, mortuum esse ratus, de fātō iniquō conquestus (māgnī enim ēmerat), portā caveae apertā, corpus ut vidēbatur inanimū ēiēcit: continuō psittacus, membrīs laxātis, ālis vectus sē in arborem vicīnam recēpit, et “Valē,” inquit, “domine: mementō autem nōn omnia tālia esse, quālia videntur.”

XVII. VOLPES ET CAMELUS

NŌN est dubium, crēdō, quīn manifestum sit volpēs esse omnium animālium callidissimās : ecce aliud exemplum. Erat enim volpēs, quae cancrōs multum amābat, sed natāre nesciēbat, et ut ad eum locum ubi erant cancrī venīret, necesse erat flūmen trānsire. Itaque amicum suum camēlum allocūtus, “ Ō camēle,” inquit, “ vīn tū cannā melliferam ēsse ? ” — “ Volō : scīsne ubi sit ? ” — “ Sciō : flūmen trānseāmus, et mōnstrābō.” Nec mora : camēlus flūmen trānsiuit, volpēs in tergō camēlī sedēbat : tum camēlō volpēs cannārum segetem mōnstrāuit, ipsa operam dedit cancrīs. Sed quantō minor est volpēs camēlō, tantō ōcius ventrem complēre potest ; itaque volpēs mox fīnem fēcit edendō, sed camēlus vix erat in mediō, neque voluit abire. Volpēs igitur tantum clamōrem ēdidit ut omnēs pāgānī fustibus et lapidibus camēlum aggrederentur. Tum volpēs, “ Abeundum,” inquit, “ domum.” Cui Camēlus, “ Bona scīlicet tū amīca ; quārē tantum clamōrem fēcistī ? ” At volpēs, “ Ō sic est mōs meus post cēnam.” Tum abiērunt. At mediō fluviō Camēlus exclamāuit. “ Ō Iuppiter ! volō mē revolvere.” Cui Volpēs, “ Quārē Ō insāne ? ” Respondet Camēlus, Quia mōs est meus post cēnam ” — et in aquam revolūtus, volpem submersit.

XVIII. TESTUDO GARRULA

ALIQUANDŌ in lacū quōdam habitābat testūdō : quae quamquam summīs virtūtibus praedita est, hōc tamen vitiō labōrābat, ut nimium garriret, et omnēs quī in eō lacū erant piscēs, malle sē dicerent in terram migrāre, quam audītōrēs esse semper. At duo ānserēs, testūdinis amīcī, misericordiā affectī, servāre eam valdē cupiēbant. Opportūnitāte igitur ūsī, hunc in modum allocūtī sunt : “ Ō Testūdō, veniās precāmur nōbiscum in locum amoenissimum, quem cōgnōvimus, ubi nēmō tē lacesset.” Quibus Testūdō, “ Grātiās,” inquit, “ agō, amīcī : sed cum volāre nequeam, quōmodo eam vōbiscum ? ” Ad haec, “ Facile,” inquit, “ sī aliquantulum tempus ōs tuum clausum tenēre potes.” “ Scītōte,” inquit, “ posse me hōc facere, sī velim.” Nec mora : virgam inveniunt ; virgae alter alterum caput rōstrō suō arripit : testūdinem iubent mediam dentibus corripere. Corripit testūdō dentibus virgam : ānseres ālīs passīs āvolant. Sed inter eundum puerī quīdam mirāculum hōc cōspiciunt. Quōrum ūnus, “ Ecce,” inquit, “ ānserēs duo testūdinem virgā per caelum transportant ! ” Quō dictō, valdē irāta testūdō, periculī oblīta, “ Ah scelerāte,” inquit, “ tuās rēs age ! ” Hoc saltem dīcere voluit, sed ēheu, ōre apertō amīsit virgam, ad terram concidit, in saxīs collīsa, diem obiit supremum. Quae rēs omnēs puerōs admonet, nē mimia garrulitāte ūtantur.

XIX. PSITTACUS IUDEX

AUCEPS quīdam aliquandō psittacum cēpit laqueō suō, quem domī servābat, sī forte quid disceret audiendō. Sed ita stupidus erat, ut disceret nihil omnīnō. Mox auceps de industriā incipit docēre: nē tum quidem didicit quidquam psittacus. Post sex mensēs autem duās vōcēs iam didicit: alteram, “quidnī” alteram “procul dubiō”. Auceps cum percēpisset nōn operae pretium esse docēre tālem pecudem, caveā aurātā inclūsum in nūndinās secum portāvit, sī quem forte inveniret, cui venderet. Quō ubi pervēnit māgnā voce exclāmābat, quasi praecō: “Quis licitātur? Quantī, quantī? Ecce psittacus, quī quidvis loquī potest! Ecce quī scit bene, quidquid rogās! rogā quidlibet, respondet. Quantī?” Accidit autem ut rēx praeteriēns audīverit clāmōrem: et aucupem allocūtus, “Verane,” inquit, “dīcis?” “Vēra: rogā modo ut sciās.” — At rēx: “Latīnē scīs,” inquit, “psittace?” — Cui psittacus respondit, “Quidnī?” — “An cognōstī lēgum ambāgēs?” — “Procul dubiō.” — Ad quae rēx attonitus, “Placet mihi quidem hīc: quantī vendis?” Respondit auceps, “Decem mīlibus sestertium.” Dat rēx pretium, psittacum arripit, abit. Nam iūdex rēgius nuper est mortuus, neque quisquam invenīri potuit, quī in locum succēderet: psittacum autem ēmit rēx, quia crēdidit eum neque mercēdem postulātūrum, neque corruptum irī pecūniā.

Postrīdiē posuit psittacum prō tribūnālī: reus adest, quī caedis accūsātus est. Agit causam defēnsor: dum perōrat, “Itaque,” inquit, “nōn dubium est quīn reus sit innocēns.” Cui psittacus, “Quidnī?” At corōna admirātur, quia scīlicet accūsātiō nōndum acta est. Mox accūsātor testimōniīs mōnstrat dēprehēsum reum in ipsō facinore manifestum: additque, “Ex hōc, iudex, nullum potest esse dubium, quīn nocēns sit reus.” Cui psittacus, “Procul dubiō.” His auditīs, rēx attonitus, “Quōmodo,” inquit, “idem et nocēns et innocēns potest esse? sī ita testimōnium contemnis, haud sciō an suspicer ipsum tē interfēcisse hominem.” Cui psittacus, “Quidnī?” Ad haec rex irātus, “Sī igitur confitēris tē interfēcisse, ipse morte mulcandus es.” Cui psittacus, “Procul dubiō.” At rēx, “Agedum, līctor, caede!” dum et trahitur praeceps, non desinit psittacus clāmāre, “Quidnī, quidnī, procul dubiō.”

XX. AUCEPS ET COLUMBAE

AUCEPS quīdam per silvās avēs quaerēbat : quōs ut caperet, rētibus humī fixīs, frūmentum undique sparsit. Mox autem accidit, ut grex māximus columbārum in eum locum advolāret : quae cum frūmentum cōspexissent, gaudiō affectae sunt māgnō. At rēgīna gregis, “ Ō columbae stultissimae,” inquit, “ nōlite hōc frūmentō vescī : unde enim frūmentum in silvā procul ab hominibus ? nōn est dubium quīn auceps adsit aliquis.” Sed nōn potuit eis dissuādēre, quōminus vescerentur frūmentō : descendunt igitur, et rētibus illaqueātae sērō cōgnōscunt perīculum. Māgnā voce ūniversae exclāmant, “ Eheu, quid faciāmus ! actum est de nōbīs ! ” Ad haec vetustissima et sapientissima ex columbīs, “ Nōlite,” inquit, “ dēspērāre : remedium enim invēnī ego. Nempe sī ūnō et eōdem tempore ūniversae pennās pandēmus, ēvolābimus, et tollēmus rētia nōbīscum.” Haec sententia placēbat omnibus. Datō signō, in caelum ēvolant, et rētia pedibus implicāta sēcum tollunt. Auceps autem infectā rē domum rediit ; sed quid dē columbīs factum sit, nesciō.

XXI. ALAUDA ET MESSIS

Sī quid vīs cito fierī, ipsum facere oportet. Nōn enim dubium est, quīn ita fiat celerrimē. Quō facilius crēdātis hōc, fabulām narrābō. Avis est, cui nōmen est alaudae, quae nīdum aedificat in segetibus, id ferē temporis, quo segetem metunt agricolae. Aedificāverat autem nīdum ita alauda quaedam, ut implūmēs adhūc essent pullī, ubi messis appropinquābat. Dum igitur ipsa it pābulum pullis quaesītum, monet eōs, ut sī quid ibi novī fieret, nūntiārent sibi, ubi redisset. Cum abiisset, ecce dominus cum filiō: quī “Vidēsne,” inquit, “segetem iam mātūram esse? Idcirco crās, fac eās et ōrēs amicōs, veniant operamque mutuam dent, ut messim metāmus.” Quibus dictis, discessit. At pullī tremebundī mātrem expectant: quae cum haec audiisset, “Nōlīte,” inquit “timēre: sī enim dominus messim ad amicōs remittit, non crās fiet messis.” Posterō diē, iterum it māter pābulum quaesītum: pullī expectant. Sōl fervet, it diēs, amicī nullī. Mox dominus adest, et filium allocūtus, “Amicī istī,” inquit, “cessātōrēs sunt. Valeant igitur. Afferēs primā lūce falcēs duās: alteram egomet mihi capiam, alteram tū tibi, et frūmentum nōsmet ipsī manibus nostrīs crās metēmus.” Quod ubi audīvit māter, “Tempus,” inquit, “est cēdendī et abeundī: fiet nunc procul dubiō, id quod futūrum dixit.” Itaque sine morā migrāvit: at sī mānsisset, ipsa cum segete demessa esset.

XXII. RĀNAE

RĀNAE duae, altera in alterō locō habitantēs, volēbant explōrāre orbem terrārum. Altera hārum rānārum, cui nōmen erat, Coäx, in montibus habitābat, altera, cui nōmen erat Boäx, in campō : utraque amoenum stāgnum incolebat, neutra autem erat contenta, quamvis in utrōque locō māgna esset cōpia muscārum. Coäx igitur, rānunculīs suis collectīs, ita incipit : “ Fīliū filiaeque, in eō est ut iter faciam, orbis terrārum explōrandī causā.” Plōrant rānunculī, lacrimant, obsecrant— nihil prōdest : māter ad iter se parat. Scīlicet aliquot pinguīs muscās, sōle bene coctās, foliō involvit, glandis calicem pūrō rōre complet, et proficiscitur.

Eō ipsō tempore Boäx idem facit : muscās foliō involvit pinguēs, calicem glandis rōre complet, rānunculīs collectīs “ valēte ” dicit, et ea quoque proficiscitur ut explōret orbem terrārum. Sic iter faciunt utraque, haec de montibus descendēs, illa in montēs ascendēs, saltāns utraque mōre rānārum.

Sed dum ita saltat Coäx, cētera animalia videt non saltāre, sed pedibus ambulāre aut currere, praecipueque māgna quaedam animalia, sicut gigantēs vel arborēs vīvās, quae binīs pedibus posteriōribus ambulābant, pede autem priōre baculum tenēbant.

“ Ecce ! ” inquit, “ quid hōc bonist ? namque ego lūdicrō sum cēterīs ” ; continuō arundinem arripit, quā ūsa pro baculō, pedibus posterioribus et ipsa iter facit. Haud aliter Boäx quoque fecit : sic et Boäx et Coäx, arundinibus suis nīsaе, hominēs imitābantur, dum pedibus posteriōribus ambulant.

Ad merīdiem, altera alterī obviam fit. Coäx “ Salvē,” inquit ; Boäx “ Salvē ” ait, “ tū quoque.” Deinde inter sē colloquuntur, dum sedent paullisper ; ardēbat enim sōl, et erant aliquantulum fatigātae.

“ Quid est tibi nōmen ? ”

“ Coäx est mihi nōmen : et tibi ? ”

“ Mihi est nōmen Boäx : haud sciō an cōgnātae sīmus.”

“ Fierī potest. Sed quid facis tū in hāc regiōne viārum ? ”

“ Orbem terrārum explōrō ; audiō enim esse loca, quae nōn sint campī. Quid autem tū, amīca ? ”

“ Ego quoque explorō orbem terrārum ; quia audiō esse loca, quae nōn sint montēs.”

“ Èheu, longa est via : requiescāmus aliquantulum, capiāmus aliquid cibī.”

“ Libentissimē : ecce muscārum mōrētum optimum.”

“ Bene facis : ēn rōris pūrī pōculum.”

Edunt igitur bibuntque ; quō factō, Coāx exclāmat : “ Venit aliquid mihi in mentem : dīc tū quid tibi videātur. Māgnus est labor explorāre orbem terrārum. Hīc autem locus quasi medius inter montēs et campōs : quīn tollāmus nōs in digitōs arrectās ; haud sciō an hinc vidēre possīmus, qualis sit orbis terrārum.”

Simul dictum, simul factum : in digitis arrectae cōsistunt, oculōsque contendunt stantēs, suā utraque arundine nīsaē. Sed vidistī tū ranām, ut opinor : dum humī est prōna, oculī ex capite sūrsum exstant ; sed sī quandō pedibus constant posteriōribus, oculī retrōrsum spectant. Itaque utraque retrōrsum spectāns rāna, domum suam videt, cum crēdat se vidēre alterius domum. Exclāmat Coāx,

“ Dī immortalēs ! quam similes sunt campī montibus ! ”

At Boāx,

“ Vēra autumās tū quidem : simillimī sunt montēs campīs.”

Ad haec Coāx, “ Si nihil interest inter campōs et montēs, quārē explorāmus orbem terrārum ? Nihil est nisi dispendium labōris, ut mihi vidētur.”

At Boāx, “ Salvē, Thalēs ! Dicta est causa, solvitur iūdicium ! ”

Itaque salūtātiōne factā, discēdunt domum suam utraque, quam celerrimē : arundinēs dēmīttunt, suō mōre saltant ; unde factum est, ut neutra vidēre posset, quid esset rē vērā post tergum.

Fīlī fīliaeque eās summō gaudiō excipiunt ; et ubi rogant “ Qualis est orbis terrārum ? ” respondet utraque,

“ Aqua aquae similis : nihil interest inter hunc locum et omnia alia loca. Itaque quō locō dī immortalēs nōs posuērunt, eō locō contentī maneāmus. Ita dixit Thalēs.”

II

STULTI ET SAPIENTES

I. OVUM EQUINUM

ERAT aliquandō in orbe terrārum homō aliquis, cui nōmen erat Mōriō, nōtus ob stultitiam eximiam. Is cum comitibus per campōs peragrāns, equōs vīdit cum pullis suis ludentēs herbāque vescentēs. Quibus aspectis, “ Ō sī,” inquit, “ hūiusmodi aliquem possidērem equidem ! ” At dum hūc illūc oculōs movet, prope ad locum cucurbitās vīdit, māgnās, rotundās, tumentēs. Prōtinus exclāmat, “ Ecce nīdum equōrum, ōvōrum plēnum equinōrum ! Sī ex his ūnum capiēmus, erit mox nobis ingenuus equus.” Māximam igitur cucurbitārum arreptam, capitī suō impōnit Mōriō, omnēsque iter pergunt, summō gaudiō affectī. Sed dum per silvam eunt, Mōriō, quī spē equī futūri inflātus, nihil nisi de bonā suā fortunā garriēbat, imprūdēns arboris rāmō allīditur, cucurbita de capite dēiecta humi dēcidit, et māgnō fragōre dirumpitur. Māgna insequitur omnium lāmentātiō. At lepus, quī haud procul habitābat, sonitū perterritus, eō ipsō tempore summā celeritāte fūgit ; quem cōspicātī omnēs exclāmant, “ Ecce pullus noster equinus, quī ex ōvō est exclūsus ! ” Capere temptantur nequicquam : celerior est enim lepus, quam ut pedibus quisquam capiat. Itaque Mōriō maestus domum rediit, querēns quāle ōvum equinum rūperit, quālem equum āmiserit.

II. PISCATORES PISCANTUR EQUUM CAPTANTES

ITA Mōriō et amīcī ēius, ut dīxī antea, spē ōvōrum equinōrum falsī, dē rēbus suis dēspērantēs proficiscuntur. At longum erat iter, at sōl torrēbat, at sūdor per membra diffūsus somnōs suādēbat. Itaque cum haud procul lacum arborēsque umbrōsās cōspicerent, requiēscere cōstituerunt aliquantulum. Ubi dum requiēscunt, Mōriō oculōs ad aquam tendēbat, in quā, summā admirātione, equum nōbilem videt. Neque errāvit, erat enim in aquā imāgo equī, nam prope ad rīpam statua equī fictilis in fundāmētō erat cōspicua. Mōriō autem vērū esse equum crēdēbat, mirābāturque quōmodo sub aquā habitāre posset. Mox ventus levis oritur, movetque leviter summam aquam, ita ut imāgō sēsē movēre vidērētur. “ Ecce ” inquit “ vivit, sē movet, est equus vērū ! Captēmus ! ” Quō dictō, falce prō hāmō ūsī, fūne prō līnō piscātōris, pānem prō ēscā in aquam dēiciunt. Quō factō, tanta orta est commōtiō atque conturbātiō aquae, ut equī imāgō hūc illūc movērētur, membrīs contortīs, tamquam si irāta in eōs curreret. Hōc mōnstrō omnēs perterritī, ēscam līnumque omittunt, sēsēque dant in fugam praecipitēs. Itaque secūndā spē falsī, pergere iter cōstituunt.

III. MORIONIS EQUUS

IAM narrāvimus Mōriōnem frūstrā ōvum equinum quaesivisse, et frūstrā equum marinum captāvisse : at tandem eī vidētur arridēre Fortūna ; namque colōnus, cui haec infortūnia narrāverat, ultrō equum sē suum dōnātūrum prōmisit. Prōgreditur equus : quem omnēs admirantur. Vigintī annōs nātus, alterō oculō captus, claudus ex ūnō pede, aure alterā excisā, alteram summā intellegentiā arrigēbat, ex alterō autem oculō, quī manēbat, nōn sine sapientiā prōspiciēbat. Cui cum imposita est sella antīqua, superbus cōscendit Mōriō.

Ita viam prōgrediuntur, dōnec ad vesperem castra pōnunt. Equum autem solvunt. At ille segetem vicinī summō gaudiō carpēbat, dōnec agricola cōspexit. Tum hīc irātus ad Mōriōnem venit, clāmatque spoliāri sē segete, pretium poscit. Quō solūtō, Mōriō iterum malam suam fortūnam conqueritur. At ecce subit magus aliquis, quī causam malae fortunae sē inventūrum prōmisit. Perfectīs igitur sollemnibus caerimōniīs, ōmina cōsultat : corvum canentem audit, quod dīxit esse ōmen optimum. Postremō patefēcit causam esse malī unam illam equi aurem, quam dīxit ferrō excidendam. Itaque falce acutā aurem excidit, et nihil in capite equi mānsit nisi duo forāmina.

IV. MORIONIS SAPIENTIA ✓

IAMQUE advesperāscit, et ignis est faciendus cibī coquendī causā ; sed nulla est lignōrum cōpia. Dum solliciti haesitant, Mōriō, vir sapientissimus, subitō exclāmat, “ Venit mihi in mentem, omnēs hās quās cōspicimus arborēs ex lignō cōstāre ; sī igitur particulās aliquās resecābimus, praestō erit lignum profectō.” Omnēs sapientiam mirātī Morionī suādent, ut ipse, homō tam sollers, resecet. Itaque statim arborem cōnscendit, et in fine rāmī alicūius cōnsēdit ; quō factō serrā suā rārum amputāre incēpit. At ūnus ex comitibus, “ Ō Mōriō,” inquit, “ sī tū in fine rāmī sedēns rārum amputābis, ipse cum rāmō concidēs cāsū infēlicī.” Cui ille, “ I in malam rem, verberō ! An tū sapientior quam ego ? ” At mox id quod prōvidit amicus factum est, et māgnō fragōre Mōriō cum rāmō cecidit ; sed bonā fortūnā accidit, ut in caput conciderit, quod nisi fēcisset procul dubiō esset mortuus. Cum autem surrexisset, ad comitem summā reverentiā versus, “ Videō,” inquit, “ tē esse vāticinātōrem futūrī ; namque id quod tū praedixistī, factum est.”

V. SEPTEM STULTI

SEPTEM erant ōlim stultī hominēs, quī multa miracula rērum fēcērunt : quorum ūnum in eō est ut fābuler. Hōrum magister iussit eōs iungere bovēs aratrō, et novālia suprā quercum aliquem arāre. Quod ut facerent, māne insequentis diēi, cum bovēs aratrō iunxissent, ad quercum sunt prōgressī. Quō ubi perventum erat, primum dubitābant. “ Quid faciendum ? ” inquiunt. “ Quōmodo arandum est nōbīs suprā arborem tam altam ? ” Tandem ūnus ex eīs, “ Audīte mē,” inquit, “ comitēs : ēscendāmus in quercum, et fūnibus extollāmus arātrum bovēsque ; quō factō, facile erit factū opus nostrum.” Itaque aliī fūnēs annectunt, aliī ēscendunt in quercum, et mox summīs viribus nīsī, attrahunt ad sē bovēs. Sed in mediō opere, ecce fūnēs scinduntur, bovēs dēcidunt, quō cāsū collis confractis mortuī sunt. Dominus ubi vespere domum rediit, rogāvit utrum arāvissent suprā quercum. Cui māximus nātū, “ Cōnātī quidem sumus,” inquit, “ sed māgnū est factum infortūnium. Nam perscissīs fūnibus nostrīs, dēcidērunt bovēs nostrī, et mortuī sunt omnēs.”

VI. SENEX, PUER, ET ASINUS

AGEBANT senex et puer asinum ad oppidum proximum, vendendī causā. At inter eundum obviam it aliquis, qui exclāmat, senem allocūtus, “ Itane stultus es, senex, ut ipse cum puerō ambulēs, asinum sine sarcinā currere sinās ? ” Quō dictō, puerum imposuit senex in asinum, ipse ambulat. Mox alterī fiunt obviam : at hīc, “ Ō puerum pigerrimum, qui vehāris ipse, patrem senem pedibus ire sinās ! ” Quō auditō, senex cum puerum detrāxisset, cōscendit ipse asinum. Dum ita vehitur, tertiō fit obviam, quī exclāmat : “ Vidēn furciferum ignāvissimum, vehī ipsum asinō, dum fīlius vix rēpere potest ! ” Ita monītus senex puerum post sē asinō imposuit. Mox quartō obviam eunt, qui “ Tuus,” inquit, “ hīc asinus, an aliēnus ? ” At ille, “ Meus,” inquit. Cui alter respondit, “ Haud vērī simile hōc, sī tantum onus impōnis.” Hīs inter se contrāriīs dictīs attonitus senex, “ Quidnam,” inquit, “ faciendum mihi ? Sive enim vacuus est asinus, sive ego vehor, sive puer, sive ambō, pariter lūdibriō sum. Restat ut nōs asinum portēmus.” Etenim pedibus inter sē colligātīs, ubi ex contō suspendērunt asinum, portāre incipiunt. Quō visō omnēs tantum ridēbant, ut senex irātus asinum de ponte in rivum dēiēcerit. Unde manifestum est, eum quī omnibus placēre velit, placēre nēminī, nē sibi quidem.

VII. MATRIMONIUM

ERAT iuvenis aliquandō, qui puellam quandam voluit dūcere in mātrimonium : at ea noluit eī nūbere. Hic igitur amicum cōsultuit, quid faceret ut persuādēret puellae ? Cui amicus respondet, “ Simul ac coniēceris oculōs in puellam, salvēre iubē.” Iuvenis autem non bene intellexit, quid diceret amicus : audīvit autem aliquid de oculīs cōniciendis : suōs cōnicere oculōs nequīvit : quaesīvit igitur lanium, qui ovēs iam nunc mactāverat, ēmitque aliquōs oculōs ovīlēs. Mox puellam petiit, exclāmatque māgnā vōce, “ Salvē puella ! ” dum ūnum ex oculīs ovīlibus in puellam cōnicit. Quibus rēbus haec perterrita “ Ō mōnstrum hominis, quid facis ? ” Ille alterum ovīlem oculum cōnicit, additque, “ Salvē, puella ! vīn mihi nūbere ? ” Cui illa, “ Egone,” inquit, “ tibi ? dī immortālēs prohibeant, nē tē umquam posteā cōnspiciam ! ” Hōc dictō, iuvenis animī dēmīssus, domum rediit : et si nōn inde discessit, domī iam quoque manet.

VIII. BALBUS MORTUUS

STULTUS homō erat ōlim, cui nōmen Balbō : at quamvis esset stultissimus, dūxerat tamen uxōrem quae amābat eum magnopere. Sed tam stultus erat, ut uxōrī liberīsque vix victum adipiscerētur. Unde factum est, ut cōstitueret peregrē quaestum facere.

Abiit igitur ex eō locō. At amicus aliquis, quī domum eius praeteribat, uxōrem cōspicit, humī iacentem, genās lacerantem, crīnēs evellentem, dum māgnū emittit clāmōrem. Cui ille, “ Ō uxor,” inquit, “ virī optimī, quid clāmās ? ” At haec, “ Ō mē miseram ! ” inquit, “ abiit vir meus, est quasi mortuus, et ego quasi vidua ! ” Quō auditō amicus, ratus eam dīxisse se viduam esse, abiit maerēns.

Mox Balbum videt, qui sub arbore quiēscēbat. “ Mī Balbe,” inquit, “ quam libēns tē videō ! Vidī enim nūper uxōrem tuam, quae viduam sē esse clāmābat.” “ Quid ? ” respondit, “ an vidua uxor mea ? Revertendum est mihi ” : neque morātus revertitur. Ecce autem uxor eius prōstrāta clāmōrem facit māgnū : cui Balbus, “ Heu,” inquit, “ uxor cārissima : doleō magnopere quod tu vidua facta es.”

IX. GOTHANI

I

EST in Angliā municipium aliquis non ignōbile, cui nōmen est Gotha : cūius municipēs per tōtum orbem terrārum nōtī sunt ob sapientiam.

Accidit quondam ut ūnus ex Gothānis ad urbem profectus esset, ut nūndinārētur: cui in ponte, quō flūmen est iūctum, occurrit alter ex urbe profectus. Hīc ait : “ Salvē, quō pergis tū ? ” Ille respondit, “ Ad urbem equidem, ad nūndinās, ut ovēs nūndiner.” Hīc interrogat : “ Quā viā autem domum redībis ? ” At ille, “ Scīlicet hāc viā.” Continuō hīc, “ Numquam hodiē,” inquit, “ redībis hāc viā, ita mē dī ament.” At ille, “ Hāc viā hercle ! ” Exclāmat hīc, “ At ego impediam nē redeās ” ; cui ille respondet, “ Ain tū, verberō ? ” Quibus dictīs, baculīs contundunt inter sē. Deinde hīc, “ Cavē nē ovēs meās perterreās, nē de ponte dēsiliant ! ” At ille, “ Nihil meā refert.” Hīc autem, “ Sī tū,” inquit, “ negōtium exhibēbis mihi, digitum meum in ōs tuum immittam.” At ille, “ Immitte,” inquit, “ tandem.”

Dum ita inter se rixantur, ecce tertius accēdit ex urbe, equum agēns quī saccum farīnae portābat. Quī cum audiisset hōs dē ovibus rixantēs, cum nē una quidem ovis conspicerētur, “ Ō stultī,” exclāmābat, “ quō ūsque tandem nūgās dicētis ? Date operam, ut saccum hunc in humerum meum impōnam.” Dant igitur operam : is autem saccum portat ad marginem pontis, et apertō ōre saccī, omnem farīnam in flūmen dēmisit. Quō factō, “ Agite dum,” ait, “ quantum farīnae iam est in saccō ? ” At illī, “ Nihil omnīnō,” inquiunt. Quibus ille rīdēns, “ Tantundem, ait, sapientiae in cordibus vestris.”

Quis trium hōrum sapientissimus vōbis vidētur ?

IX. GOTHANI

II

MENINISTIS scilicet municipi Gothanorum, de quo antea disserui. Alius erat municeps huius municipi, qui ad urbem ibat aliquando ad nundinas, ut caseos venderet: dumque ambulat per declive ad pontem, quo iunctum est flumen, excidit de sacco unus caseorum, decurritque per declive. Quo viso, "Ohē," inquit, "potes ergo solus ad nundinas currere? ecce, mittō ceteros." Tum sacco depositō, caseos demittit per declive: quorum alii alias convolvuntur, hi in dumeta, illi in fossas; tandem missis omnibus, solemnī mōre exclāmat, "Quod felix faustumque sit: iubeō autem vōs omnēs obviam mihi venire in foro." Mox cum in forum pervenisset, expectat: postquam autem nullōs conspexit caseos, rogat vicinōs, quisquis aderat, num vidissent caseos suos in forum advenientēs? Cui illi, "Quis autem advehere debuit?" At hic, "Ipsi sē," inquit, "bene enim cōgnita est via. At vereor ne nimiā celeritate usi sint; nesciō an nondum pervenerint." Quibus dictis, equum pretiō conducit, pergitque equitare Londinium. Ex quo tempore neque is neque casei visi sunt.

IX. GOTHANI

III

EXIBANT duodecim Gothānī ut piscārentur : quōrum aliī ex rīpā hāmō et harundine piscābantur, aliī pedibus ībant per vada ut manibus caperent piscēs. Mox ubi domum redībant, ūnus ex eis cēterōs allocūtus, “ Dīra,” inquit, “ perīcula hodiē subīvimus, per vada euntēs : vereor nē quis perierit ; quod deī prohibeant.” Cui alius, “ Absit omen,” inquit : “ at numerēmus nōs : nam duodecim exībamus domō.” Quō dictō cēterōs numerat, sē ipsum omīttit : et exclāmat perterritus, “ Heu, non amplius ūndecim videō : periit aliquis procul dubiō.” Quibus verbis cēterī perterriti numerant invicem : sē quisque omīttit, cēterōs videt esse ūndēnōs. Itaque cum ad flūmen rediissent, quaerunt eum quem dēsīderant, māgnō cum lūctū. Dum haec geruntur, ecce eques adequitat, et “ Salvēte,” inquit : “ dīcite quārē tantō clāmōre lūgeātis ? ” Respondent illi, “ Duodecim exīvimus domō piscātum, et ūnus est aquā absumptus.” “ Numerāte vōs igitur,” inquit. Numerant ūnus quisque ūndecim, ut antea. At eques, quī rem iam intellexit, “ Quid,” inquit, “ dabitis mihi, sī āmissum comitem inveniam ? ” “ Quicquid habēmus pecuniae,” inquit. “ Date igitur,” inquit, “ prius quam quaeram.” Quō dictō, colligunt omnem pecūniam, dantque equiti. Continuō eques, “ Ecce ūnus, ecce alter,” et ūndecim numerat : denique duodecimō colaphum ita impingit, ut gemitum ēliciat, exclāmāns, “ Ecce vōbīs duodecimus ! ” Ad haec ūniversi, “ Dī tibi omnia bona dent, quod amīcum nostrum invēnistī ! ”

IX. GOTHANI

IV

GOTHĀNĪ, quae eōrum est sapientia, nōtissimī sunt per orbem terrārum : quōrum ūnus cum ēmisset tripodem, umerīs portābat ex urbe domum. Mox autem onere oppressus humi dēmīsit, ut requiēsceret aliquantulum. Quō factō, cum tripodem cōspexisset, “ Heus tū,” inquit, “ trēsne habēs tū pedēs, at ego duōs tantum ? Quārē, obsecrō, portem tē umerīs ? tū me portā, sōdēs.” Continuō in tripode cōsēdit : tripūs autem non movētur. At ille, “ Itane, verberō ? Enimvērō ferendum hōc quidem nōn est. At sī nōn vīs portāre mē, per mē vel maneās licet. Ecce quā domum eundum : sī vis, ambulā, sīn minus, manē.” Deinde pergit iter, at cum domum pervēnisset, rogat uxor : “ Ubi tripūs meus ? ” Cui respondet noster, “ Trēs habet ille quidem pedēs, duōs ego : mōnstrāvī igitur quō domum eundum esset, iussīque ire si vellet.” At haec, “ Ain tū, vervēx ? ubi reliquīstī tripodem ? ” Respondet ille, “ Haud procul a ponte.” Quō auditō uxor profecta tripodem reportat. Et nisi ipsa reportāset, etiam nunc constāret in mediā viā.

IX. GOTHANI

V

SEDĒBANT vespere Gothānī in municipiō suō. Erat autem in mediō forō quercus aliqua māgna, sub quā solēbant ōtium carpere mūnicipēs, et geniō indulgēre. Dum sedent, ex summā arbore cucūlus carmen suum dabat.

Quō auditō, aliquis ex Gothānīs exclāmāvit, “Quam dulce est carmen illud! Utinam possim hīc semper sedēre, et tāle carmen auribus bibere!” Cui alter, “At non semper canit.” Rogant ille, “Quārē?” Respondet hīc, “Quia mēse Iūliō, aut saltem Augustō, fugere dēbet in loca peregrīna.” At ille, “Quārē, ō dī immortālēs? Nonne contentus est tam nobilī municipiō? Resecat me ad vīvum hoc.” Hīc autem, “Sed quid,” ait, “faciendum?” Respondet ille, “Rēs est facilīma. Mūrum aedificēmus circum hanc arborem, et captivum eum retineāmus. Itaque canet per totam annum.”

Haec sententia omnibus placēbat. Itaque rem locāvērunt redemptōrī, quī mūrum se aedificāturum prōmīsit, datō pretiō. Mox operae conveniunt, et collēctis saxīs, mūrum aedificant, decem pedēs lātum, quinquāgintā pedēs altum. Sed eō ipsō diē, quō mūrus cōfectus est, cucūlus alīs passīs ab arbore āvolāvit.

X. MATERTERAE DONA

BALBUS puer erat nōn ita sapiēns, quī cottidiē ferē māterteram suam vīsītāre solēbāt ; haec autem aliquid semper ferē dare ei solēbat, quod mātrī redderet. Accidit igitur aliquandō, ut mātertera ei placentam pinguissimam dederit, quam cum accīpisset, statim est profectus. At inter eundum tantus eum invāsīt amor gustandī, ut aliquid ab angulō frāctum dēvorāret : quod tam bene sapiēbat, ut paullātim totam placentam devorārit, et nihil mānserit nisi frūsta. Itaque cum domum advēnisset, rogāvit māter, “ Quid tū fers ? ” Respondet ille, “ Placentam.” At ea, “ Quid ? Placentam ? Ubi est placentā ? Non ita dēbēs placentām ferre : dēbēs enim foliīs bene involūtā in pilleō tuō repōnere, quod pilleum est deinde capitī impōnendum.” Postrīdiē mātertera ei favum dedit dulcissimum, quod statim foliīs involūtum in pilleō reposuit, deinde pilleum capitī suō imposuit. Mox ut ībat, ex favō mel incēpit effluere, et ubi domum advēnit, ecce ōs tōtum et mālās melle perfūsās. Cui māter, “ Ō dī immortālēs, quid hoc bonīst ! Quid tibi dedit mātertera ? ” Respondit, “ Favum mihi dedit dulcissimum, quem foliīs bene involūtum in pilleō meō reposui, deinde pilleum capitī imposuī, sed nesciō quōmodo in viā per ōs meum et mālās lacrimāvit ! ”

Hōc audītō perterrita mater, “ At,” inquit, “ nōn hōc modo favum dēbēs ferre. Dēbēs enim mappā bene involūtum, aquā submergere, dōnec tempus erit eundī, deinde summā curā est manibus portandum.” Postrīdiē ei dedit mātertera pulcherrimum catellum, quem statim mappā bene involūtum et aquā submersum, mox manibus summā curā reportābat. Quī cum māter dixisset, “ Quid nōbīs hodiē fers ? ” reddidit ei catellum, iamdūdum mortuum. “ Ō Iuppiter ! ” inquit, “ tū profectō stultissimus es post hominum memoriam. Itane tū mihi catellum fers ? Dēbuistī collō fūniculum annectere, et sic domum redūcere.” Postrīdiē mātertera ei pānem dedit māximum : cui cum fūniculum annexisset, per lutum viārum domum retrāxit. Cum domum advēnisset, māter id contemplāta, quod fūniculō trahēbat, exclāmat, “ Per deum hominumque fidem, quid est istud mōnstrum ? ” At ille, “ Pānis ! ” Cui illa, “ Pānis scīlicet ! ” Et quid deinde accidit ? Nesciō equidem : sed haud sciō an aliquis ex vōbīs possit facere coniectūrā.

III

FARRAGO

I. UMBRA

ALIQUANDŌ puer Rōmae habitābat, qui tantā simplicitāte erat, ut umbram suam timēret. Quō timōre tantopere vexābātur, ut vix ferre posset. “ Ō utinam,” inquit, “ mōnstrum hōc effugere possem, quod semper me comitātur ! Sī carērem hōc mōnstrō, quam beātus essem ! ” Itaque coemptō equō Rōmā profectus est Vēiōs. Sed accidit ut sōl adversus fulgēret ; quō factum est, ut umbram suam non vidēret. Cum autem sē revertisset, ut respiceret, ecce umbra nigerrima, longissima, per viam prōtenta. Hāc visā exclamat, “ Eheu, numquam mē ab hōc mōnstrō aufugere ! ” et calcāribus equō subditis, dat sēsē in fugam. Fertur equō : respicit : quō celerius fertur, eō celerius umbra sequi. Quid faceret ? Tandem dēfessus, sub arbore capit quiētem ; et cum respiceret, umbram nullam conspexit. Crēdit se tandem effūgisse ; sed nē deciperetur, explōrat hūc illūc. Quamdiū sub arbore manet, salvus est : sed quandōcumque hinc aut illinc caput in sōlem prōfert, ecce iterum umbra ! Postrēmō nox venit, dēcidit sōl, iam omnēs evānuēre umbrae : puer igitur, summō gaudiō, domum rediit, cum crēderet sēsē tandem umbram suam effūgisse.

II. GULA REX

ANTE duo ferē mīlia annōrum, rēx erat aliquis, quī tantum habēbat amōrem edendī et bibendī, ut eum nominārent Gulam. Īdem cēnam ante aedēs suās ēsse solēbat: “Sī enim,” inquit, “nihil ipsī habent quod edant, est sōlātium aliquid, mē saltem edentem spectāre.” At ūnus ē cīvibus totiēns hōc spectāverat, ut taedēret eum spectāculī aliquantum: cōstituit igitur partem et ipse petere ēius cēnae. Nempe mōs erat id temporis, cum neque cursōrēs pūblicī essent neque acta diurna, nūntiōs summā cōmitāte excipere. Dum igitur rēx cēnātur, homō hīc ex longinquō currens māximā vōce exclāmat “Nūntium ferō, nūntium, nūntium!” Dat turba viam, omnēs expectant quidnam reī sit. Mox ad rēgem pervenit, sed velut dēfessus, rēgī ad pedēs cadit anhelāns. Quō visō, rēx servōs iussit appōnere eī cenae aliquid: devorāvit homō tantum, quantum nēmō anteā quemquam comēsse vīderat. Numquam fore vidēbātur ut finem faceret edendī: cum autem fēcisset, “Eia age,” inquit rēx, “nūntiā, precor, iam nōbīs, quis tuus sit nūntius.” At ille, “Nūntiō,” inquit, “anteā me famē fuisse rabidum, nunc tamen saturum.” Quibus rēx, calliditāte hominis delectātus, respondit, “Fit hōc quidem et nōbīs cottīdiē: ignōscō tibi nunc, sed vereor ne crās aliud quiddam sim dicturus.”

III. BLANDITIA ET VERITAS

ERAT aliquandō hortus, flōrum pulcherrimōrum plēnus, rosārum, liliōrum, violārum. Hunc hortum servābat custōs, quī quamquam formōsus erat cētera, carēbat tamen nāsō. Accidit autem ut duo puerī, quī in ludō litterariō dēbēbant esse, ambulantes praeterirent: quī cum vidērent tot flōrēs, cupiēbant carpere aliquōs. Prīmus igitur, cum vellet ēloquenter loquī, “ Salvē,” inquit, “ optime vir. Si tū mihi dabis sertum rosārum, precābor deōs ut et nāsus tuus iterum crēscat.” Ad quae irātus, sciēbat enim numquam fieri posse, ut nāsus in ōre crēscat, “ Impolītus es,” inquit, “ puer: neque enim crēscet nāsus in ōre, nec adipiscēris rosās meās.” Quae cum audiisset alter, “ Vēra dīcis,” inquit, “ pater: ut igitur numquam crēscet nāsus tuus, sic mihi dā rosam.” Cui respondet custōs: “ Nē tū quidem adipiscēris rosam; verba mihi das. Redi igitur ad magistrum, quī tibi dabit non verba, sed verbera.”

IV. TYMPANUM

Duo quīdam stultī hominēs, quī tympanum audiēbant resonāre, mirātī quid rei esset, statuērunt invēstīgāre. Vident cylindrum, cūius in utrōque capite membrāna tendēbātur: pulsātā membrānā, sonus ēdēbatur. Crēdunt inesse aliquem, quī faciat hunc sonum. Expectant igitur, dōnec adsit is cūius erat tympanum; deinde alter ab alterā parte, cum membrānam perforasset, dextram immittit. Nec mora, alter alterius manum corripit, simulque exclāmat, “Cēpī hominem!” At cum neuter alterum omittere velit, summīs vīribus trahunt alter alterius manum. Tandem alter, “Mī Frater,” inquit, “quam dūrus est hīc homō!” Cū alter, “Ita hercle vērō,” ait, “quantācumque enim vī trahō, nihil efficiō.” At mox is cūius erat tympanum domum reversus, explicāvit rem, quī nisi rediisset, etiam nunc essent in eōdem locō, alter alterum trahentēs.

V. NIL DESPERANDUM

IN vicō longinquō, pater familiās aliquandō habitābat, quī ut fit saepius inter hominēs, filiū generāvit dēgenerum. Summam dederat operam, ut eum bene ēducāret, sed frūstrā: sērō māne expergiscēbatur, sērō ad prandium ībat, sērō in lūdum litterārium; quidquid erat faciendum, infectum relinquēbat, pictūrās in grammaticā Latīnā pingēbat, erat verberō et nēquam. Itaque ubi in eō erat ut pater moreretur, filiū ad sē lacessitum, hīs verbīs adloquitur. “ Ō mi fili, nēquam puer fuisti, sciō tē virum fore nēquiōrem: cūrāvī igitur ut medicīna tibi sit parāta. Ubi tū omnem rem familiārem edendō et bibendō dissipāveris, ēscendās precor in cubiculum, quod est sub tēgulīs, et inveniēs miseriarum panacēam.” Quibus dictīs, diem obiit suprēmum. At filiū, ut pater praedixerat, ita fēcit: brevī enim quidquid ille tot annīs labōre multō collēgerat, hīc dissipāvit. Tandem factōrum suōrum paenitet, et venit in mentem id quod pater iusserat. “ Ō mē miserum!” inquit: “ restat ultima illa medicīna.” Nec mora: in cubiculum ēscendit, videtque, ō dī immortalēs! ex trabe suspēsum laqueum. Caput in laqueum īserit, sēsēque prōicit. At mirābile dictū, trabe cōnfractā tēctum tōtum collāpsum sēcum trahit copiam magnam aureōrum. “ Ō patrem,” inquit, “ sapientem! Grātiās tibi agō hūius ultimī beneficiū: ex hōc diē fiam frūgī.” Itaque sapiēns factus, cēteram viā bene dēgēbat.

VI. VIR TENAX PROPOSITI ✓

ERAT aliquandō cīvis Rōmānus, iūstissimus et idem tenācissimus prōpositī, quī tantā erat virtute, ūt semper rēctā viā prōgrederētur : scīlicet nāsum suum sequī solēbat, quōcumque nāsus dūcēbat. Sī obviam it mūrō, nōlēbat dē viā, seu ad dextram dēclīnāre, seu ad sinistram : rēctā ībat, mūrū cōnscendēbat, dēscendēbat ab alterā parte. Accidit autem ut quercū obviam īret ; nec mora, hanc cōnscendit. At sub eādē arbore sedēbant quattuor sacerdotēs ; et cum iūstum et tenācem prōpositī virum cernerent cōnscendentem, exclāmant, “ Quō is ? ” At ille, “ Rēctā viā sequor nāsum meum.” Respondent illī, “ Cavendum est tibi. Nam quōmodo prōderit tibi esse iūstō, et tenācī prōpositī, sī in caput tuum dēcidēs ? ” Ad quae ille, “ Estō,” inquit, “ nihil moror equidem : melius est morī quam dē viā dēclīnāre.” At sacerdotēs, veritī nē morerētur homō tam iūstus, extendunt pallium quod habēbant : hūius pallī quattuor angulōs tendunt quattuor sacerdotēs, ita ut singulī singulos angulōs tenērent : deinde pedibus cōnīsī, parātī stābant ad hominem excipiendum. Ille autem super cacūmen quercūs ēgressus, subitō in caput praeceps dēscendit in medium pallium, quod eum ita excēpit ut lēniter ad terram dēmītteret. At māgnō impetū dēscendit, et sacerdotēs quī angulōs tenēbant, in medium adductī erant, tantā violentiā, ut capita collīderentur, collisaque frācta sunt. Quō factō, hī mortuī sunt, ille rēctā nāsum sequēbātur, ut antea.

VII. IUVENIS VIGILAX ✓

IUVENIS per silvam ambulābat, cum duo viatōrēs obviam eī vērunt.

“ Salvē,” inquiunt, “ Ō iuvenis : an vīdistī vaccam aliquam vagam ? ”

Respondet, “ Vaccam equidem non vīdī, sed abhinc duo ferē mīlia passuum vēstīgia vīde vaccae, quae vetus erat et sine dentibus, et ex oculō dextrō caeca.”

Cuī illī, “ At ea est quam āmīsimus. Dīc ubi sit.”

Respondet iuvenis, “ Ubi sit, nesciō : nihil vīdī nisi vēstīgia pedum, et eum locum ubi herbam carpsit.”

Cuī illī irātī, “ At tū eam fūrātus es, et cēlavisti ! Quōmodo enim dēscribere potes, veterem scīlicet, sine dentibus, ex oculō dextrō caecam ? ”

Itaque iuvenem in iūs trāxērunt. Ibi iūdex interrogāvit, quōnam modō tam bene cōgnōvisset eam vaccam ?

Respondet iuvenis, “ Vacca vetus erat, quia vēstīgia pedum erant larga. Caeca erat ex dextrō oculō, quia tantum in sinistrā parte viae herbam carpserat. Sciō autem dentibus carere, quia herbam non bene carpserat, sed inaequāliter. Precor ut mē ēmittās.”

Iūdex iuvenem valdē laudātum ēmisit.

VIII. FUR DETECTUS ✓

PĀSTOR erat aliquandō, quī gregem ānserum servābat. Sed noctū fūr vēnit, quī ūnum ex ānseribus fūrātus est. Pāstor igitur ad iūdicem ambulāvit, et tōtam rem eī dixit.

Iūdex, aliquantum temporis rē cōsiderātā, pāstōrem allocūtus, “ Venī,” inquit, “ mēcum ad templum.” Nam eō diē omnēs cīvēs in templum ire dēbēbant, et deōs piō mōre colēbant.

Iūdex igitur cum pāstōre in āream templī prōgressus est : omnēs cīvēs summā reverentiā cōsurgunt. Iūdex māgnā vōce exclāmat. “ Cōsīdite, cōsīdite ! quārē nōn omnēs cōsīditis ? ”

Respondērunt omnēs simul, “ Cōsīdimus omnēs ! ”

At ille, “ Itane vērō ? ”

Respondent, “ Ita enimvērō.”

At ille, “ Nōn omnēs cōsīditis. Is enim, quī ānserem fūrātus est, nōn cōsīdit.”

Fūr respondet, “ At enim cōsīdō : ecce ! ”

Ita rēs manifesta facta est, prūdentīā iūdicis.

IX. SONITUS PRO ODORE

DĪVES erat olim homō, quī in māgnīs aedibus habitābat, māgnamque pecūniam in cibum pōtumque impendēbat. Hūius prope ad portam pauper homō habitābat cum uxore. Hī quia pauperēs erant, nec poterant bonum cibum emere, sedēre solēbant prope ad portam, et cum bonus cibus coquerētur, odōrem olfaciēbant, tum dēmum ad malum suum cibum reveniēbant. Ita simulābant se piscibus vescī, aut agnīnā, aut porcīnā, aut būbulā aut pullō, aut aliīs lautitiīs.

Narrāverat rem haec uxor amīcae suae. “ Scīs tū,” inquit, “ pauperrimōs nōs esse, nec posse bonum cibum emere. Quid igitur facimus? Dum apud dīvitem vīcīnum bonus cibus coquitur, cōnsīdimus nōs prope ad portam, et odōrem suāvem olfacimus: tum dēmum ad vīlem nostrum cibum redīmus, et simulāmus nōs lautitiīs vescī, piscibus, agnīnā, porcīnā, būbulā, pullō! Ecce, nōne iam pinguis fiō?”

Quae cum audīvisset amīca, uxōrī dīvitis narrāvit, et ea marītō: marītus autem irātissimus dīxit, “ Ideō tam macer sum factus, et tū quoque! Ōmnem virtūtem ex cibō nostrō olfaciunt hī furciferī!”

Advocāvit igitur pauperem, iussitque pretium dare omnium, quae apud s̄ cocta erant; “ Vōs enim,” inquit, “ omnem virtūtem ex cibō nostrō olfacitis! et nōs ecce macerrimī factī sumus!”

At pauper, “ Eheu,” inquit, “ stipem nōn habeō! Pretium dare nōn possum!” Dīves igitur pauperem in iūs sēcum dūxit cum uxōre.

Iūdex rogāvit, “ Quaenam est contrōversia?”

Respondet dīves, “ Hīc homō et uxor ēius omnem virtūtem ex cibō nostrō olfaciunt; itaque ut vidēs, hī sunt pinguissimī factī, nōs autem macerrimī!”

Iūdex aliquantum temporis rem cōnsiderābat; cum cōnsiderāvisset, rogāvit, “ Quantum damnī postūlās?” Cui ille, “ Centum aureōs.”

Iūdex aureōs centum in pauperis manum dedit; quōs cum dedisset, iussit eum extrā portam ire, et māgnī vōce numerāre.

Exiit igitur pauper, aureos magnā voce numeravit, “ Unus, duo, tres,” usque ad centum; dumque numerat, crepitum audiēbant nummorum ex ordine cadentium.

Cum hīc ita omnēs numerāvisset, iūdex diviti dīxit, “ Ecce tibi dēbitum solūtum, nummī numerātī.” At dives, “ Sed ubi sunt nummī ? ”

Respondet iūdex, “ Nummōs nōn tibi dēbet. Scīlicet ille virtūtem cibi habet ex odore: tū virtutem nummorum habēs ex auditū.”

Omnēs conclamāvērunt, “ Ō iūdicium iūstissimum ! ”

X. SAPIENS IUDEX

VIATOR aliquis, qui longo itinere perfectō, vespere ad dēversorium vēnerat, ēsuriēns sedēbat; namque tam pauper erat, ut nē unum quidem nummum habēret, quō cibum sibi emeret: nihil autem in manticā inerat, nisi frūstulum pānis siccum. Sed accidit ut pullus pinguissimus super igne verū transfixus torrērētur; itaque viator, prope ad ignem sedēns, simul pānem suum edēbat, simul odōre pulli grātō fruēbātur, simūlābatque sē dapibus lautissimīs vesci. Quō visō, caupō, “ Quid,” inquit, “ facis tū, viator?” Respondet hīc: “ Odōre pulli grātissimō fruor, Ō caupō.” At ille: “ At meus est odor,” inquit, “ quam ob rem odōris pretium mihi reddēs.” Cum viator negāret hōc esse iūstum, exclāmat caupō, “ Ambulā in iūs!” et dūcit eum ad iūdicem. Rogāvit iūdex quid rei esset: cui caupō, “ Hīc homō,” inquit, “ pulli mei odōre ventrem suum complēvit, idcirco det mihi pretium.” Viator deōs testātur, nihil damni accēpisse caupōnem. At iūdex, rē diū cōsiderātā, tandem sententiam dicit. “ An tu fructus es odōre pulli?” — “ Fructus sum.” — “ Eratne caupōnis hūius pullus?” — “ Erat.” — “ Ergō caupōni pretium odōris dēbēs.” — At caupō, “ Ō iūdicem iūstissimum! Quid igitur mihi dabit hīc scelerātus?” Cui iūdex, “ Vidēsne hunc nummum?” “ Videō.” “ Percipe igitur nummī odōrem, et habēs odōris pulli pretium.” Quō auditō omnēs iūdicis sapientiam laudāvērunt, at viator viam suam sēcūrus perrēxit.

XI. SYLLOGISMUS ✓

SEQUĒBANTUR cursū concitātō trēs cīvēs Rōmānī Carthāginiēsem quendam, quem suspicābantur fūrem esse : arrip-tam enim pecūniam cōstābat, eōdemque diē Carthāginem hunc abiisse. Cum igitur cēterī hunc culpārent, nōn esse dubium vidēbātur, quīn rēs ita sē habēret. Mox ad dēversōrium advēnerant, ubi scriptus est titulus : “ Hūc ineant Carthāginiēses.” Caupō enim ipse Poenus erat. Quō visō, ūnus ex tribus, “ Ecce,” inquit, “ nōn opus est longiōre itinere : dubium non est, quīn hīc sit fūr noster : is enim Carthāginiēsis, neque fierī potest ut nōn amicōs suōs petat.” Cui alter respondet, “ At is, sī nōs sequī crēderet, hanc potis-simum domum vitāret : scīret enim nōs hūc ventūrōs.” Tertius autem, “ Vērū tamen,” inquit, “ scīret nōs ita rationem factūrōs ; et ob id ipsum dēverteret ad hanc domum potissimum.” — Cum hīc cēterīs callidissimus vidēretur, cōn-silium ēius secūtī domum intrant. Nihilō magis tamen inveniunt ; accidit enim ut is litterās legere nescīret.

XII. GRUS

Nōs in domibus habitāmus, volucrēs in arboribus. Aedificant arte nīdōs, collectīs virgīs, strāmentīs, aliisque hūiusmodī rēbus, quae ubi contexērunt, ōva pariunt, foment, itemque pullōs exclūdunt. Dum māter in nīdō sedet, pater ēscam quaerit : quam repertam ad familiam reportat. Gruēs autem māgnae sunt volucrēs, quattuor quīnque ferē pedēs altae, longīs crūribus, longīs rōstrīs praeditae : aedificantque nīdōs in summīs arboribus, columnīs, fāstigiīs tēctorum, nē quis inimīcus ascēnsiōne factā ōva fūrtō surripiat. Vidī equidem ante hōs paucōs diēs nīdum alioquem gruum, in moenibus Salonicae factum ; māter autem familiās in nīdō sedebat, nec procul in ūnō pede stābat pater. Ecce autem mirāculum. Māter enim, cum ēsuriret, tantum strepitum fēcit, superiōre parte rōstrī cum inferiōre collīsa, ut cēnam poscere vidērētur. Nec mora : accēdit pater grūs, ēscam in rōstrum sedentis mātris dēmīttit, quam ea summō gaudiō dēvorat.

XIII. CALLIDUS COQUUS

HOMŌ dīves aliquandō iussit epulās lautās parārī, ut sodālēs hospitiō exciperet. Coquenda erat autem grūs, quae inter lautissimās rēs habēbātur id temporis. Eam dum coquus verū transfixam ad focum versat, quia morātur dominus, subitā famē oppressus, tandem nōn potuit se cohibēre, quōminus gustāret. Crūs igitur alterum abscissum comēdit. Mox revēnit dominus cum convīvīs. Discubitum est ad mēnsās : grūs prōpōnitur. At dominus, dum oculōs in gruem convertit, alterō carēre crūre videt. Coquum igitur arcessitum rogat, quidnam causae esset, cūr ūnum modo crūs habēret haec avis ? Cui ille, “ Quārē hoc ita sit,” inquit, “ nesciō equidem : sed rē vērā ūnum modo crūs habet hōc genus volucrum.” Ad haec, dominus irātus poenam minātur coquō. Sed ille, “ Sī,” inquit, “ diem crastinam expectābis, probābō tibi mē vēra loquī.” Itaque posterō diē dominum et convīvās ad rīpam ducit flūminis, ubi longō ordine gruēs singulīs crūribus nixae stare sunt visae. “ Ecce,” inquit, “ nōne vērū dixī, singulās singula crura habēre gruēs ? ” At dominus manibus complausit, unde clāmōre sublātō, gruēs exterruit : quae alterō crūre dēmīso āvolant. “ Ah furcifer,” inquit, “ ecce mendācia tua ! ” At ille, nihil perterritus, respondet : “ Scīlicet, sī idem herī fēcisses, grūs illa alterum crūs dēmīssisset.” Hōc dictō dominus oblectātus, hominisque sollertiam admirātus, servō veniam dedit.

XIV. DE PIGRO PUERO

PUER erat aliquandō, quī ita piger erat, ut māne e lectulō surgere semper nōllet. Quantō magis forēs pultābat ancilla, tantō magis dormiēbat, nec ante dēscendit per scālās, quam cēteri fīnem fēcerant ientāculī. Quō irātus pater, “Cūr,” inquit, “tam piger es, mī fili?” At ille respondit, “Haudquāquam piger sum, pater venerandissime.” Cui pater, “At nōn dubium est quīn semper expergīscī recūsēs.” Respondit puer, “Nōn recūsō, pater, quōminus expergīscar, sed cottīdiē, ubi mē vocat ancilla, duās cernō ante oculōs fēminās inter sē disputantēs: quārum alterī nōmen est Pigritiae, alterī Industriae. Industria hortātur mē ut surgam, Pigritia ut dormiam. Illa monet necesse esse operam dare litterīs, haec operam dare somnō. Illa dicit, Sī non expergīscēris, dēbitō mūnere fungī non poteris: haec, Sī nōn dormiēs, morbō aliquō afflictus eris, nam puerīs multō somnō opus est. Industria semper vincit, et ubi primum victa discēdit Pigritia, ego exsiliō ē lectulō, vestēs induor, lavō mē, dēscendō. Sed inter disputandum longum tempus teritur: unde fit ut sērus dēscendam.”

XV. PRETIUM PISCIS ✓

CĒPIT aliquandō piscātor in rētibus mullum optimum. Quō captō, “ Hīc,” inquit, “ pretiōsior est quam prō cīve piscis : dēferam ad rēgem.” Cum igitur ad rēgem pervēnisset, forēs-que pultāsset, iānitor, “ Quid vīs,” inquit, “ homō inurbāne?” At ille, “ Dēferō,” inquit, “ ad rēgem piscem hunc.” Cui respondet iānitor, “ Nēmō hīc intrat, nisi mihi dōnum dedit : sī tū intrāre vīs, prōmitte tē mihi datūrum dīmidium pretiū.” “ Prōmittō,” inquit. Mox ad alteram portam pervēnit, alterumque offendit iānitōrem, quī et ipse poscit dīmidium pretiū. Tandem ad rēgem vēnit, petitque ut emat piscem optimum. “ Quantī ? ” rogat. Cui ille, “ Centum plāgis.” Attonitus rēx nummōs dare volt, sed ille negat se acceptūrum : tandem rēx pervictus obstinātiōne, cōsentit. Mox appāritōres flagella parāre, vestem dētrahere ; at piscātor, “ Veniam,” inquit, “ precor, Ō rēx, nōn mihi dēbēs hōc pretium, sed iānitōribus tuis : quōrum utriūque prōmisi dīmidium pretiū, quod acceptūrus essem.”

XVI. IANITOR ✓

ANTE tria mīlia annōrum, rēx quīdam regēbat in rēgnō aliquō, quō nēmō post hominum memoriam crūdēlior umquam fuit. Cīvēs enim ita opprimēbat, ut sine misericordiā esse vidērētur : nullius eum miserēbat, nullius factī pudēbat. Nempe aliōs bonīs spoliābat, aliōs vitā : hōs cruciāre, illīs crūra abscindere, illīs oculōs elīdere. Utcumque ad templa ībant, precābantur omnēs : “ Ō Iūppiter optime māxime, utinam tū exscindās hanc pestem ex orbe terrārum ! ”

Quās precēs Iūppiter tandem accēpit : et quia miseruit eum rēgnī illius, effēcit ut rēx morbō afflictus diem obīret suprēmum. Quō mortuō ubīque gaudium, ubīque grātulātiō : passim per viās epulārī, canere, saltāre. Sed inter tot gaudientēs, ecce ūnus quī maerēbat : nam iānitor ēius ad portam palātī sedēbat, lacrimāsque ex oculīs effundēbat. Mox aliquis rogāvit quid rei esset : “ Ō stultissime,” inquit, “ nescīsne rēgem mortuum, bēstiam illam taeterrimam ? Non dubium est quīn tu insānus sīs. Ī Anticyram ! ” At ille, “ Minimē vērō,” inquit : “ insānus nōn sum equidem.” — “ Quārē igitur flēs ? ” — “ Dicam profectō,” inquit, “ quārē fleam. Quandocumque rēx ex palātiō exībat, pugnum in ōs impingēbat mihi. At sī iānitōrī Orcī pugnam in ōs impinget, aegrē feret ille, procul dubiō : et vereor nē rēgem nostrum ad nos iterum remittat.”

XVII. IUDICIUM

RĪVUS quīdam, cūius nōmen nōn memoriā trāditur, iūctus erat ponte. In prīma parte hūius pontis erat in statiōne custōs, quī viātōrēs interrogāret. Ut quisque enim statiōnem adveniēbat, interrogāre dēbēbat custōs, “ Quō is, et quid est tibi negotiū ? ” Ille autem iūre iūrandō dictō dēbēbat respondere : sī vērūm dīxit, licēbat trānsire : sīn falsum, ex proximā quāque arbore suspendēbātur.

Vēnit igitur aliquis aliquandō ad hunc pontem : custōs rogāvit, “ Quō is ? Quid est tibi negotiū ? ” Respondit ille, “ Ad mortem eō, et negōtium est mihi ut ex istā arbore suspendar.”

Quid nunc erat faciendum ? Sī enim trānsire sinet, falsum erit id quod dīxit, et dēbet ex arbore suspendī ; sīn tamen suspendet, vērūm erit, et non debet suspendī.

Ambulāvērunt in iūs : rem expōnunt iūdicī. Deinde ille, “ Ut rem intellegō, sī vērūm dīxit, trānsire dēbet, sīn falsum, suspendī : sed sī suspendētis, vērūm dīxerit, et dēbuerit trānsire ; si trānsibit, falsum dīxerit, et dēbuerit suspendī.” Cū custōs, “ Rem,” inquit, “ acū tetigistī, sapientissime iūdex : sed utrum faciēmus ? ” At iūdex, “ Ut mihi vidētur, et vērūm et falsum dīxit : itaque ea pars hominis quae vērūm dīxit, trānseat, ea pars quae falsum, suspendātur.”

Custōs, admirātiōne perculsus, respondit, “ At sī hoc faciēmus, moriētur homō, et lex violābitur, quae ad amussim servārī dēbet.”

Deinde iudex, “ Vēra praedicās tū quidem : rēs igitur revocētur ad rēgem.” Itaque ad rēgem ambulat, rem narrant ; et rēx, rē diū cōsiderātā, tandem edīxit : “ Meā quidem sentiā, est cūr sinātis trānsire, est cūr suspendātis : tantundem est ratiōnis cūr vivat, tantundem est ratiōnis cūr moriatur. Sed sī aequae sunt ratiōnēs hinc at illinc, semper melius bonum facere quam malum, melior misericordia quam sevērītās : itaque eat ille in bonam rem.”

Abiit igitur sēcūrus custōs, abiit victor viātor, et rēx ille erat postea summā apud populum gratiā. Nam sī nōn fuisset misericors, homō ille mortuus esset iniūriā, et custōs semper in dubiō manēret.

IV

CENA TRIMALCHIONIS

A CONVIVA DESCRIPTA

I

RŌMAE erat homō aliquis, Trimalchiō, quī ex paupere factus est locuplētissimus, neque tantum iūdicium habēbat quantam pecūniam. Ille me ad cēnam vocāvit, amīcumque meum.

Ubi ad aedēs eius pervēnimus, senem offendimus calvum, tunicā vestitum rubrā, inter puerōs capillātōs lūdentem pilā. Quandōcumque in terram pila dēcidit, non repetēbat ille, sed novam a servō excēpit, quī cum cōpiā māgnā pilārum adstābat in prōmptū. In dīversā parte duo servī stābant, quōrum alter pollūbrum argenteum et urnam argenteam tenēbat, alter pilās numerābat; nōn eās quae inter manūs iacientium vibrābant, sed eās quae in terram decidēbant. Mox lūdō finītō, senex digitīs concrepuit, quō signō servus alter pollūbrum manibus subiēcit, alter aquam ex urna offundēbat; ille autem lautīs manibus, digitōs in capite puerī dētersit.

Inde domum intrāvimus. Sed dēlicātior erat Trimalchiō, quam quī ambulāret vel trīgintā passūs. Itaque lectīcae impositus est, quam octō servī portābant: prōcēdēbant cursōrēs quattuor, dumque lectīcā vehitur, cantor ad caput eius accessit, tibiās tenēns minimās, et tamquam sī in aurem aliquid sēcrētō dīceret, tōtō itinere cantābat.

Sequimur nōs admirātiōne perculsī, dōnec ad iānuam domūs pervēnimus. Ibi in poste titulus erat, cum hāc inscripitiōne, fīxus: "Quisquis servus iniussū dominī forās exierit, accipiet plāgās centum." In aditū stābat ōstiārius, prasinā veste contēctus: super līmen cavea aurea pendēbat, in quā pīca intransēs salūtābat. Dum haec perlūstrō, subitō attonitus, paene decidī supīnus: ad sinistram enim intransibus, haud longē ab ōstiariī cellā, canis ingēns, catēnā vinctus, in pariete erat pīctus, superque scripsum māgnīs litterīs "CAVE CANEM." In pariete quoque, multa ex Trimalchiōnis vitā dēpīcta vidī: quōmodo Rōmam Minervā dūcente vēnerit, mox dispēnsātor factus sit, tandem in tribūnal ā Mercuriō sublātus sit; praestō erat Fortūna cum cornū abundantī, et trēs Parcae pēnsa torquentēs.

In angulō erat armārium¹ māgnum, in cūius aediculā² pyxis aurea, in qua barbam ipsius conditōris conditam esse dicebant.

¹ Vestiarium: gallice "armoire."

² Cella parvula, quasi aedes parvula.

II

IAM nōs ad triclinium pervēnerāmus : sed cum in eō esset ut intrārēmus, exclāmāvit ūnus ē puerīs, quī huic officiō prae-positus erat, “Dextrō pede!” Namque infaustum esse crēdēbātur sinistrō pede līmen trānsire. Mōvimus igitur ūnā dextrōs pedēs, et intrāvimus.

Dum discumbimus, puerī aliī aquam in manūs infundunt, aliī mollissimā lānā pedēs dētergent : dumque hōc faciunt, utriūque cantābant. Ego experiri volui, an tōta familia cantāret, itaque pōtiōnem poposci. Nec mora ; vīnī dispēnsātor vīnum dedit cantāns, et quidquid poposcerāmus, dabant cantantēs. Pantomīmī chorū esse crēderēs, nōn triclinium.

Deinde gustātiō est allāta. Inter alia, asellus Corinthiacus cum clitellis¹ est positus, qui in alterā parte olivās albās habēbat, in alterā nigrās. Duae lancēs autem erant, in quōrum marginibus nōmen Trimalchiōnis inscriptum erat, et argentī pondus.

Tomācula² etiam in crāticulā³ argenteā posita fervēbant, et prope ad crāticulam, prūna cum Pūnicis mālīs.

Dum haec aspiciamus, ipse Trimalchiō init, interque carmina servōrum discumbit. Ut in mediīs pulvīnis recumbēbat, omnibus rīsum mōvit. Vestitus enim erat palliō purpureō, circum cervicem autem mappa erat lātō clāvō dīstincta, fimbriīs hinc et inde pendentibus. Habēbat autem in digitō sinistrae manūs minimō ānulum grandem aureum, extrēmō proximī digitī articulō alterum stellis ferreis plēnum. Et nē hās tāntum ōstenderet divitiās, dextrum nūdāvit lacertum, quō armillam auream gerēbat et circulum eburneum. Dentēs perfodiēbat argenteō dentiscalpiō.

¹ Sacci, hinc inde a tergo asini dependentes.

² Minuta, vel intritum, vel caro minutim concisa, et in cuticula inclusa, formam autem habet serpentis brevis et pinguis. Aliter : tucetum, vel Lucanica, vel botulus.

³ Crates parva : tomacula supra, ignis infra.

III

TRIMALCHIŌ, ubi intrāvit, “ Amīcī,” inquit, “ nōndum mihi commodum in triclinium venīre : sed nē diūtius absēns morae vōbis essem, omnem voluptātem mihi negāvī. Permittētis mihi tamen ut lūdum fīniam.” Sequēbātur puer cum tabulā eburneā et crystallinīs tesseris, et lūdere pergēbat.

Intereā corbis allāta est, in quā gallīna erat lignea, patentibus in orbem ālis, quālēs esse solent quae ōvis incubant. Continuō accessēre duo servī, et carmina canentēs paleam scrūtārī coepērunt, ērutaque subitō pāvōnīna ōva convīvīs dīvisere.

Ad haec voltum convertit Trimalchiō, et “ Amīcī,” ait, “ pāvōnis ōva gallīnae iussī suppōnī. At mehercule timeō nē iam pullī conceptī sint : temptēmus tamen.” Deinde cochleāria accēpimus aurea, ōvaque ex farīnā facta pertundimus. Ego quidem paene prōiēcī partem meam, nam vidēbātur mihi iam in pullum coiisse. Sed audīvī veterem convīvam : “ Hīc nesciō quid bonī inesse dēbet ” : itaque frāctō ōvī putāmine, fīcēdulam invēnī pinguissimam.

IV

Mox, ut manūs lavārēmus, chorō cantante, inivērunt duo Aethiopes, quī ūtrēs parvulōs portābant: ex hīs ūtribus vīnum in manūs effundēbant, aquam enim nēmō porrēxit. Dum haec aguntur, vās aliquod argenteum ex manū puerī excidit: quod cum paene sustulisset, animadvertit Trimalchiō, et colaphōs puerō impingit, iussitque rūsus vās dēmittere. Quod cum fēcisset, lecticārius inter reliqua purgāmenta vās scōpīs ēverrit.

Statim allātae sunt amphorae vitreae, quārum in cervicibus tesserulae erant affīxae, cum hōc titulō: “Falernum annōrum centum.” Dum titulōs perlegimus, Trimalchiō collīsīs manibus plausit, et “Eheu” inquit, “ergō diūtius vīvit vīnum quam homunciō! Bibāmus igitur! Vīta vīnum est. Vīnum ecce praestō est Falernum. Herī nōn tam bonum prōmpsi, et multō honestiōrēs cēnābant!”

V

DUM pōtāmus et haec mīrācula mīrāmur, larvam argenteam servus attulit. Larva est id quod Graecī nōinant skeleton : ossa hominis scīlicet in ordinem disposita, et coniūcta inter sē. Haec autem larva sic erat aptāta, ut articulī eius vertebraeque in omnem partem flecterentur. Haec super mēsam bis terque ita iactāvit, ut aliquot figurās exprimeret : Trimalchiō exclāmāvit—“Èheu nōs miserōs, quam tōtus homuncio¹ nīl est !” Ad haec plausimus omnes, laudāvimusque poetam factum Trimalchiōnem. Quā laude gāvīsus, duōs alterōs versūs ex tempore adiēcit :

“ Sic erimus cūctī, postquam nōs auferet Orcus.
ergō vīvāmus, dum licet esse bene.”

Mox ferculum insecūtum est, nōn prō expectātiōne māgnū : novitās tamen omnium convertit oculōs. Lanx enim erat māgna et rotunda, quae sīgna duocecim zōdiaci in orbem disposita habēbat : arietem, taurum, geminōs, cancrum, leōnem, virginem, lībram, scorpiōnem, sagittārium, capricornum, aquārium, piscēs. Et super ūnō quōque sīgnō aliquid erat proprium : super taurō būbulae frūstum, super cancrō cancer, super leōne ficus Africāna, super scorpiōne pisciculus marīnus, et cetera eōdem modō. Ad hōs cibōs tam vīlēs nōn sine trīstitiā accēdēbāmus, ubi puerī quattuor tripudiantēs ad symphōniam, superiōrem partem lancis abstulērunt. Quō factō infrā in alterō ferculō vidēmus altilia,² leporemque in mediō, pennīs ita ornātum ut Pēgusus vidērētur. Notāvimus etiam in unguīs leonis Marsyās quattuor, quī ūtriculōs portabānt, ex quibus ūtriculīs garum piperātum super piscēs effluēbat, quī tanquam in euripō³ natābant. Ad haec plausum damus omnēs, et optimum quidque aggredimur, dum Trimalchiō “ Carpe, carpe ” exclāmat. Continuō accēdit carptor, carpsitque leporem et cēteram ēscam, ad symphōniam manūs movēns velut praestigiātor : nec dēsinit Trimalchiō lentā vōce ēloquī, “ Carpe, carpe.” Ego aliquam subtilitātem subesse suspicātus, vicīnum meum rogāvī, quid rei esset ? at ille, “ Vidēs eum,” inquit, “ quī obsōnium carpit : Carpus nōmen est eī. Itaque quotiēns dicit Carpe, eādē vōce et vocat et imperat.”

¹ Trimalchio, homo non bene doctus, corripit ultimam syllabam, et dicit “ homunciō.”

² Altile est id quod alitur, et pingue fit alendo, vel saginando.

³ Quasi canalis : Euripus proprie est fretum angustum inter Euboeam et terram Graeciae.

VI

POSTQUAM satis ēdī, ad eum quī proximus accumbēbat conversus, rogāvī quis ea femina esset, quae huc illuc discurreret. “Uxor,” inquit, “Trimalchiōnis : Fortunāta appellātur, quae modiō nummōs mētiātur ! Tantum eam amat Trimalchiō, ut sī dicat illa merīdiē tenebrās esse, crēdat. Est sicca, sōbria, est tamen malae linguae, pīca. Quem amat amat, quem nōn amat nōn amat. Trimalchiō fundōs habet sexcentōs, nummōs quot vīs, argentum in ōstiarīi cellā plus iacet quam nōsmet ipsī domī habēmus. Familia vērō, babae ! nōn mehercle putō decimam partem esse quae dominum suum nōverit. Nec est quod putēs eum quicquam emere. Domī nāscuntur omnia : lāna, cedrae, piper, lāc gallīnāceum sī quaesieris, inveniēs. Mel Atticum ut domī nāscerētur, apēs Athēnis iussit afferri : sic intrā hōs paucōs diēs scripsit, ut ex Indiā sēmen bōlētōrum mitterētur. Plūs vinī sub mēnsa effunditur, quam aliī in cellā habent.”

VII

INTERCESSIT hīs fābulis Trimalchiō : nam iam sublātum erat ferculum, hilarēsque convīvae operam dare sermōnibus incipiēbant. Is ergō in cubitum reclīnātus, “Hōc vīnum,” inquit, “vōbis placēre oportet. Piscēs natāre oportet ! Sed inter cēnandum philosophiam et philologiam nōsse dēbēmus. Patrōnō meō ossa bene quiēscunt, quī mē ēdocuit, hominem inter hominēs voluit esse. Caelum hōc, in quō duodecim deī habitant, in totidem figurās sē vertit. Modo fit ariēs. Si quī sub ariete nāscuntur, multa pecora habent, multam lānam, caput praetereā dūrum, sine pudōre frontem, cornū acūtum. Deinde taurus fit. Hōc signō barbarī nāscuntur, et eī quī sē ipsī pāscunt. In cancrō ego nātus sum. Itaque multis pedibus stō, et in terrā et in mari multa possideō. Sic orbis vertitur tamquam mola, et semper aliquid mihi facit, ut hominēs aut nāscantur aut pereant.”

VIII

Quō auditō “sophōs”¹ exclāmāvimus; mox advēnērunt ministri, et toris torālia praeposuerunt, in quibus rētia erant pīcta, subsessōrēsque cum vēnābulis et tōtus vēnātiōnis apparatus. Necdum sciēbāmus quid esset futūrum, cum extrā triclinium clāmor sublātus est ingēns, et ecce canēs Lacōnicī circā mēnsam discurrere coepērunt. Secūta est hōs lanx māxima, in quā positus est aper ingēns, quī pilleum in capite gerēbat, ex cūius dentibus sportellae pendēbant duae, nucibus replētae. Circā aprum porcellī erant minōrēs, ex farinā coctā factī. Cēterum ad scindendum aprum non ille Carpus accessit, quī pullōs lacerāverat, sed homō barbātus, ingēns, quī strīctō vēnātōris cultrō latus aprī vehementer percussit, ex cūius volnere turdī ēvolāverunt. Praestō erant aucupēs cum harundinibus viscātis, qui turdōs circumvolitantēs excēpērunt. Inde cum suum cuique referri iussisset Trimalchiō, adiēcit, “Etiam vidēte, quam bonās glandēs aper ille comēderit!” Statim puerī ad sportellās, quae ex dentibus pendēbant, accessērunt, nucēsque ad numerum dīvisēre cēnantibus.

¹ σοφῶς.

I X

MIRATUS quid sibi vellet pilleus ille, quī in aprī capite erat positus, vicinum eum rogāvī, quī antea rerum miracula explicāverat. At ille, “Nōn est aenigma, sed aperta rēs est. Hīc aper herī ā convīvīs dīmīssus est : itaque hodiē tamquam libertus in convīvium revertitur.” Servi enim liberātī pilleō dōnantur. Dum haec loquimur, puer formōsus, in modum Bacchī ornātus, ūvās crātibus dēpositās circumtulit, et poēmata dominī suī acūtissimā vōce cantāvit. Ad quem sonum conversus Trimalchiō, “Dionȳse,” inquit, “liber estō.” Hōc dictō omnēs plausimus : Liber enim alterum est Bacchī nomen. Puer aprō pilleum dētractum capitī suō imposuit. Tum Trimalchiō rūsus addit : “Nōn profectō negābitis mē habēre Liberum patrem.” Alterō hōc iocō etiam magis plausimus, puerōque grātulātī sumus, quod ex Dionysō Liber factus esset.

X

TUM Trimalchiō exiit, et nōs quoque liberī factī incēpimus colloquī. Incipit Dāma. “Diēs,” inquit, “nihil est. Dum versās tē, nox fit. Itaque nihil melius est, quam dē cubiculō rēctā in triclinium ire. Et māgnū frīgus habuimus: vix mē balneum calefacit. Tamen calida pōtiō quasi vestiārius est, quasi vestem enim frigidō corpori induit. Bibi bene, et est mihi bene: vīnum mihi in cerebrum abiit.”

Excipit Seleucus. “Ego,” inquit, “nōn cottidiē labor; aqua dentēs habet. Sed ubi vīni aliquid dēgustāvī, nōn flocci faciō frīgus. Hodiē autem in balneum ire nōn potuī, ivi enim in fūnus: Balbus amicus animam ebulliit. Heu, heu, ūtrēs inflātī ambulāmus! Minōris quam muscae sumus, nōn plūris quam bullae. Et quid sī nōn ieiunium ēgisset? Quinque diēs aquam in ōs suum non coniēcit, nōn micam pānis. Tamen abiit ad plūrēs. Medicī eum perdidērunt, immō malum fātum; medicus enim nihil aliud est quam animī cōsōlātiō. Tam bene elātus est! Plāctus est optimē, etiam sī malignē illum plōrāvit uxor. Sed mulier, quā mulier, milvīnum genus: amor cancer est.”

Molestus erat cēterīs, et aliquis dīxit, “Satis dē mortuīs: habet quod dēbēbatur: honestē vixit, honestē obiit. Quid habet quod querātur? Ab asse crēvit, et parātus erat quadrantem dē stercore mordicus tollere. Itaque crēvit tamquam favus. Putō mehercle eum reliquisse solida centum sestertia, at omnia in nummīs habuit. De rē tamen vērū dicam: dūrae buccae fuit, verbōsus, discordia nōn homō. Frāter eius fortis fuit, amicus amicō, manū plēnā, ūnctā mēnsā. Et ille stips, dum suō frātrī irascitur, nesciō cui terrae filiō patrimonium lēgāvit. Longē fugit, quisquis suōs fugit. Plānē Fortūnae filiū; in manū illius plumbum aurum fiēbat. Et quot putās eum annōs sēcum tulisse? septuāgintā et suprā. Sed aetātem beneferēbat, niger tamquam corvus.”

Respondet alius, “Narrātis quod nec ad caelum nec ad terram pertinet; nēmō autem cūrat, quōmodo annōna mordeat. Nōn mehercle buccam pānis invenire potuī. Et quō-

modo siccitās persevērat! Iam tōtum annum ēsuritiō fuit. Aedīlibus male ēveniat, quī cum pīstōribus collūdunt! Servā mē, servābō tē. Itaque populus labōrat; nam istī, māiōrēs mākillae, semper Sātumnālia agunt. Ō si habērēmus illōs leōnēs, quōs ego hīc invēnī, cum prīmum ex Asiā vēnī! Illud erat vīvere. Meminī Safinī: tunc habitābat ad arcum veterem, mē puerō, piper, nōn homō—quācumque ībat, terram ūrēbat. Sed rēctus, sed certus, amīcus amīcō, quōcum possēs in tenebrīs micāre.¹ Cum ageret in forō, sic illius vōx crēscēbat tamquam tuba. Nec sūdāvit umquam, nec exspuit. Et quam benignus resalūtāre, nōmina omnium reddere, tamquam ūnus dē nōbīs! Itaque illō tempore annōna prō tūtō erat. Asse pānem quem ēmeras, nōn potuissēs cum alterō dēvorāre: nunc oculum būbulum vidī māiōrem. Heu heu, quottidiē pēius! Haec colōnia retrōversus crēscit, tamquam cauda vitulī. Quod ad mē attinet, iam pannōs meōs comēdī. At ego putō omnia illa a dīs fieri. Nēmō enim caelum caelum putat, nēmō iēiūnium servat, nēmō Iovem pīlī facit, sed omnēs opertīs oculīs bona sua computant. Antea mātrōnae ībant nūdīs pedibus in clīvum, passīs capillīs, mentibus pūrīs, et Iovem aquam exōrābant. Itaque statim urceātīm pluēbat, et omnēs rīdēbant, ūdī tamquam mūrēs.”

“Ōrō tē,” inquit alius quis, “melius loquere. ‘Modo sic, modo sic,’ dīxit rūsticus, quī porcā suā albam perdidit. Quod hodiē nōn est, crās erit: sic vīta pergīt. Nulla mehercle patria melior dīcī potest, sī hominēs saperent; tū sī aliās fueris dīcēs hīc porcōs coctōs ambulāre. Aliquā diē tibi persuādēbō, ut ad villam veniās, et videās casulās nostrās; inveniēmus quod mandūcēmus, pullum, ōva. Et iam tibi discipulus crēscit Cicerō meus parvus. Iam quattuor partēs² dīcit, scit dīvidere numerum in partēs: sī vīxerit, habēbis ad latus servulum. Nam quidquid eī vacat, caput dē tabulā nōn tollit. Ingeniōsus est et bonō filō, etiam sī in avēs morbōsus est. Invēnit tamen aliās nūgās, et libentissimē pingit. Cēterum iam Graeculīs litterīs calcem impingit, et Latīnās coepit non male appetere. Emī ergō puerō aliquot librōs rubricātōs,³ quia volō eum aliquid dē iūre gustāre in

¹ Lusus erat puerorum, qui digitos subito promittebant et demittebant, clamantes, “Quot sunt haec?”

² Divisio est, non multiplicatio: scilicet numerorum particulae.

³ Libri qui ad leges attinent, quorum tituli rubris litteris erant scripti.

ūsum domesticum : habet haec rēs pānem. Sī nōlet, dēstīnāvī eum aliquid artificiī docēre, aut tōnstrīnum aut praecōnem aut certē causidicum, quod eī auferre possit nihil nisi Orcus. Ideō cottīdiē clāmō : ‘ Prīmigenī, quidquid discis, tibi discis.’ Vidēs Philerōnem causidicum ; sī nōn didicisset, hodiē famem ā labrīs nōn abigeret. Modo modo, collō suō circumferēbat onera vēnālia, nunc etiam adversus Norbānum sē extendit. Litterae thēsaurus est, et artificium numquam moritur.”

Dum haec colloquimur, redit Trimalchiō, rogatque, “ Agamemnōn, dīc mihi breviter, sī amās, dēclāmātiōnem tuam quam hodiē habuistī.” Respondet ille, “ Pauper et dīves inimīcī erant.” Sed Trimalchiō, “ At quid est pauper ? ” “ Urbānē dictum ! ” inquit Agamemnōn, et nescio quam contrōversiam exposuit. Statim Trimalchiō, “ Hōc,” inquit, “ sī factum est, nōn est contrōversia ; sī nōn factum est, nihil est.” Omnēs plaudunt. Deinde ille, “ Rogō tē, cārissime, num duodecim Herculis aerumnās tenēs ? et dē Ulixē fābulam, quemadmodum illī Cyclops pollicem forcipe extorsit ? solēbam haec puer apud Homērum legere. Nam Sibyllam quidem Cūmīs ego ipse oculīs meīs vīdī, in ampullā pendentem, et ubi puerī dicebant, Quid vīs, Sibylla ? respondēbat illa, “ Morī volō.”

XI

UBI aliquantulum temporis in sermōcinandō trivimus, ecce quadra cum sue ingentī mēnsam occupāvit. Mirārī nōs celeritātem coepimus, et iūrāre, nē gallum gallināceum quidem tam celeriter coquī potuisse. At illud mirātiōnem attulit, quod multō māior nōbīs esse vidēbātur hīc porcus, quam paulō ante aper fuerat. Deinde magis magisque Trimalchiō intuēns “ Quid ? quid ? inquit, porcus sic nōn exinterātus ?¹ Non mehercle est. Vocā vocā coquum in medium ! ” Quī cum ad mēnsam cōstitisset trīstis, et dīceret sē oblītum esse exinterāre, “ Quid ? oblītus ? dēspoliā ! ” Nōn fit mora, dēspoliātur coquus, et inter duōs tortōrēs, maestus cōstitit. Dēprecārī tamen omnēs incipiunt, et dīcere : “ Solet fierī : precāmur, mittās ; posteā si fēcerit, nēmō nostrum prō illō precābitur.” At Trimalchiō, “ Quia tam malae memoriae es,” inquit, “ palam nōbīs exinterā.” Receptā coquus tunicā, cultrum arripuit, porcīque ventrem hinc et illinc timidā manū secuit. Nec mora, ex plāgīs tomācula cum botulīs effūsa sunt.

Coquus pōtiōne honōrātus est, et argenteā corōnā.

Inter hās fābulās intervenit actuārius, quī tamquam urbis acta ex libellō recitāvit : “ VII Kalendās Sextilēs. In praediō Cūmānō, quod est Trimalchiōnis, nātī sunt puerī xxx, puellae xl : sublāta in horreum ex āreā trīticī mīlia modium quīngenta ; bovēs domitī quīngentī. Eōdem diē : Mithridātēs servus in crucem actus est, quia Gāi nostrī geniō male dīxerat. Eōdem diē : In arcam relātum est, quod collocārī non potuit, sestertium centiēs. Eōdem diē : incendium factum est in hortīs Pompēiānīs, ortum ex aedibus Nastae vīlici.”

“ Quid ? ” inquit Trimalchiō, “ quandō mihi Pompēiānī hortī emptī sunt ? ” Actuārius “ Annō priōre,” inquit, “ et ideō in ratiōnem nōndum vērunt.”

¹ Intestina non extracta.

XII

DEINDE familia petauristārum iniērunt. Ex quibus aliquis cum scālīs cōstitit, puerumque iussit per gradūs ascendere, inque summīs scālīs saltāre, deinde in circulum sē circumagere amphoramque dentibus sustinēre. Mirābātur spectaculum Trimalchiō sōlus : “ Libentissimē,” inquit, “ petauristās spectō ; cētera sunt trīcae merae.” Haec dīcente Trimalchiōne, puer delāpsus est. Conclāmāvit familia, nec minus convīvae, nōn propter hominem tam pūtidum, cūius et cervīcem frāctam libenter vīdissent, sed propter malum cēnae finem, nē necesse esset aliēnum mortuum plōrāre. Ipse Trimalchiō, cum gemitū ingemuisset, simulāvit sē esse laesum ; concurrēre medicī. Puer autem, quī ceciderat, circumībat iam dūdum pedēs nostrōs, et mīssiōnem petēbat. Ego autem expectābam rīdiculum aliquid ēventūrum : coquī enim meminī, quī porcum exinterāre oblītus erat. Nec fallor : in vicem enim poenae vēnit dēcrētum Trimalchiōnis, quō puerum iussit liberum esse, nē quis posset dīcere, tantum virum esse ā servō volnerātum. Dum petauristās observāmus, repente lacūnāria sonāre coepērunt tōtumque triclinium contremuit. Cōsternātus ego exsurrexī, veritus nē quis per tēctum petaurista dēscenderet : nec minus cēteri convīvae mirantēs ērēxere voltūs, exspectantēs quid novī dē caelō nuntiārētur. Ecce autem dīductīs lacūnāriīs subitō circulus ingēns dēmīttitur, cūius per tōtum orbem corōnae aureae cum alabastrīs unguentī pendēbant.

Dum haec geruntur, lanx cum placentīs mēnsae imposita erat, in quā pōma quoque et ūvae sustinēbantur. Avidius manūs porrēximus, et repente novus iocus hilaritātem mōvit. Omnēs enim placentae et omnia pōma, etiam minima, contacta, crocum effundere coepērunt.

Tum Trimalchiō circumspexit, et “ Solēbātis,” inquit, “ hilariōrēs esse in convīviō : ubi sermōnēs ? ubi salēs nōtī ? ” Deinde ad ūnum versus, “ Tū,” inquit, “ aliquid muttīs : ēloquere.” Ad quae hīc : “ Reputābam, inquit, quid mihi ante multōs annōs acciderit, ubi iam servus eram.” Cui

Trimalchiō, “ Dīc ” ait, at ille : “ Ubi ego serviēbam, forte dominus Capuam exierat, ad negotium nesciō quod cōficiendum ; mox ego et contubernālis meus exīvimus. Ad quīntum miliārium cum advēnissimus, comes meus exiit sē, et omnia vestīmenta dēposuit. Mihi anima in nāsō erat, stābam tamquam mortuus. At ille hōc factō, subitō lūpus factus est. Nōlīte mē iocārī putāre : nōn iocor : sī iocor, moriar ilicō. Quod coeperam dīcere, postquam lūpus factus est, ululāre coepit, et in silvās fūgit. Ego primum ubi essem nescīvī, deinde accessī ut vestīmenta eius tollerem : illa autem lapidōsa facta sunt. Quis moritur timōre nisi ego ? Gladium tamen strīnxī, et perterritus ad dēversōrium prōgredior. Caupōna mirārī incēpit, quod tam sērō ambulārem, et ‘ Sī ante.’ inquit, ‘ vēnissēs, saltem nōbīs adiūvissēs ; lūpus enim vīllam intrāvit, et omnia pecora lacerāvit : sed servus noster lanceā collum eius trāiēcit.’ Mox redīvī : sed ubī ad eum locum vēnī, ubi vestīmenta relicta erant, nihil vīdī nisi sanguinem. Ut vērō domum vēnī, iacēbat contubernālis meus in lectō, et collum eius medicus cūrābat.”

XIII

Mox lictor tricliniū valvās percussit, et amicus intrāvit cōmissātor, cum uxōre māgnāque hominum frequentiā: ego māiestāte conterritus, praetōrem putābam vēnisse. Sed Agamemnōn rīsīt, et, “Continē tē,” inquit, “homō stultissime. Habinnās sēvir est, idemque lapidārius, quī vidētur monumenta optimē facere.” Post multās nūgās, quās longum est narrāre, et contentiōnem fictam servōrum, Trimalchiō dīxit: “Amīcī, et servī hominēs sunt, et ūnum lāc bibērunt, etiam sī malum Fātum eōs oppressit. Tamen mē salvō, mox aquam liberam gustābunt. Ad summam, omnēs illōs in testāmentō meō manūmittō: aliī fundum lēgō, īnsulam, et vicēsīmam,¹ et lectum strātum, aliī aliud. Nam uxōrem meam hērēdem faciō, et commendō illam omnibus amīcīs meīs. Et haec omnia pūblicō, ut familia mea iam nunc sīc mē amet tamquam mortuum.”

Grātiās agere omnēs coepērunt dominō, cum ille exemplar testāmentī iussit adferri, et tōtum ā primō ad ultimum recitāvit, ingemīscēte familia. Deinde Habinnam respiciēns “Quid dīcis?” inquit, “amice cārīssime? Aedificās meum monumentum, quemadmodum te iussi? Valdē tē ōrō, ut ad pedem statuae meae catellum pōnās, et corōnās et unguenta, et Petraitis gladiātōris omnēs pugnās, ut mihi contingat post mortem vīvere: praetereā ut sint in fronte pedēs ducentī. Omne genus enim pōma volō sint circum cinerēs meōs, et vīneae multae. Valdē enim falsum est vīvō quidem domōs cultās esse, nōn cūrārī eās ubi diūtius nōbīs habitandum est. Ōrō, ut nāvēs etiam faciās plēnīs vēlīs euntēs, et mē in tribūnālī sedentem, praetextātum, cum ānulīs aureīs quīnque, et nummōs dē sacculō effudentem; scīs enim, mē epulum dedisse, bīnōs dēnāriōs. Faciās et triclinia, faciās et tōtum populum sibi suāviter facientem. Ad dexteram meam pōnās statuam Fortunātae meae, columbam tenentem, et catellam cingulō alligātam dūcat, et amphorās cōpiōsās. Et urnam licet frāctam sculpās, et super eam puerum plōrantem.

¹ Vectigal hereditatis.

Hōrologium in mediō, ut quisquis hōrās inspiciat, velit nōlit, nōmen meum legat. Inscriptiō quoque vidē dīligerter an satis haec idōnea tibi videātur: ‘C. Pompēius Trimalchiō Maecenātiānus hīc requiēscit. Huīc sēvirātus absentī dēcrētus est. Cum posset in omnibus decuriīs Rōmae esse, tamen nōluit. Pius, fortis, fidēlis, ex parvō crēvit, sēstertium reliquit trecentiēs, nec umquam philosophum audīvit. Valē: et tū.’ ”

Haec ut dixit Trimalchiō, flēre coepit ūbertim. Flēbat et Fortūnāta, flēbat et Habinnas, tōta dēnique familia, tamquam in fūnus vocāta, lāmentātiōne triclinium implēvit. Immō iam coeperam etiam ego plōrāre, cum Trimalchiō “Ergō,” inquit, “cum sciāmus nōs moritūrōs esse, quārē nōn vīvāmus? Sic vōs fēlicēs videam, cōniciāmus nōs in balneum, meō periculō, non paenitēbit. Calet tamquam furnus.” “Vērō, vērō,” inquit Habinnas, “dē ūnā diē duās facere, nihil mālō”; nūdīsque cōsurrēxit pedibus, et Trimalchiōnem plaudentem subsequi coepit.

XV

EGO respiciēns amicum “ Quid cōgitās ? ” inquam. “ Ego enim sī viderō balneum, statim exspirābō.” “ Assentiāmus,” inquit, “ et dum illi balneum petunt, nōs in turbā exeāmus.”

Cum haec placuissent, ad iānuam vēnimus, ubi canis catēnārius tantō nōs tumultū excēpit, ut amicus meus etiam in piscinam ceciderit. Nec nōn ego quoque ēbrius, qui etiam pīctum timueram canem, dum natantī operam ferō, in eundem gurgitem tractus sum. Servāvit nōs tamen ātriēnsis, quī et canem plācāvit, et nōs trementēs extrāxit in siccum.

Cēterum cum argentēs petissemus ab ātriēnse, ut nōs extrā iānuam ēmitteret, “ Errās,” inquit, “ sī putās tē exire hāc posse, quā vēnistī. Nēmō unquam convīvarum per eandem iānuam ēmissus est ; aliā intrant, aliā exeunt.”

Quid faciāmus, hominēs miserrimī, et novī generis labyrinthō inclūsī ? Ultrō rogāvimus, ut nōs ad balneum dūceret. Prōiectis vestimentis, quae amicus in aditū siccāre coepit, balneum intrāvimus, in quō Trimalchiō rēctus stābat. Cēteri convīvae circā lābrum manibus nexis currēbant, et ingentī clāmōre sonābant. Alii autem restrictis manibus¹ anulōs dē pavimentō ore cōnābantur tollere, aut positō genū cervicēs post terga flectere, et pedum extrēmōs pollicēs tangere. Nōs, dum alii sibi lūdōs faciunt, in solium dēscendimus.

¹ Post terga.

XVI

ITAQUE, ebrietate discussa, in aliud triclinium deducti sumus, ubi Fortunata disponit lautitias suas. Trimalchio dixit, "Usque in lucem cenemus." Haec dicente eo, gallus gallinaceus cantavit Cocococo! Qua voce confusus, Trimalchio vinum sub mensa iussit effundi, exclamavitque, "Non sine causa hic bucinator signum dedit: nam aut incendium fiet, aut aliquis in vicinia morietur. Itaque quisquis hunc indicem¹ attulerit, corollarium² accipiet."

Dicto citius de vicinia gallus allatus est, quem Trimalchio occidi iussit, ut aeno coctus fieret.

Interea, ut inter ebrios, rixa aliqua orta est inter Trimalchiorem et Fortunatam; Fortunata male ei dicere incipit; etiam adiecit nomen "canis". Trimalchio contra offensus calicem in os Fortunatae immisit. Illa exclamavit, manusque trementes ad os admovit. Puer officiosus urceolum frigidum ad malam eius admovit, super quem incumbens Fortunata gemere ac flere coepit. Trimalchio contra "Quid enim?" inquit, "Ambubaia³ non meminit, sed de servis venalibus eam sustuli, hominem inter homines feci! At inflat se tamquam rana! Ut intellegas quid tibi feceris—Habinnā! Noli statuam eius in monumento meo ponere, ne mortuus quoque litēs habeam."

Post hoc fulmen, Habinnas orare coepit, ut desineret irasci; et "Nemo," inquit, "nostrum non peccat. Homines sumus, non dei." Idem fecerunt ceteri.

Non tenuit ultra lacrimas Trimalchio; et "Habinnā," inquit, "si quid perperam feci, in os meum inspue! At tu mihi male dixisti, tu canem nominavisti! Suadeo, bonum tuum concoquas, milua! Suadeo ne me facias iratum, amasiuncula!⁴ alioquin experiēris cerebrum meum. Nosti me: quod semel destinavi, clavō tabulari fixum est. Sed vivorum meminerimus. Vos rogo, amici, ut vobis suaviter

¹ Quasi delatorem.

² Dulce lucellum, donum.

³ Femina quae canit aut saltat.

⁴ Dilectissima, quam amo maxime.

sit. Nam ego quoque tālis fui, quālēs vōs estis, sed virtūte meā ad hōc pervēnī. Corcillum est quod hominēs facit, cētera quisquiliae. Bene emō, bene vendō : alius alia vōbīs dīcet. Fēlicitāte dissiliō. — Tū autem etiam nunc stertis ? etiam nunc plōrās ? Iam cūrābō, fāta tua plōrēs ! — Sed ut coeperam dīcere, ad hanc mē fortunam frūgālitās mea perdūxit. Tam māgnus ex Asiā vēnī, quam hōc candēlābrum est. Ad summam, cottīdiē mē solēbam ad candēlābrum mētīrī, et quō celerius rōstrum⁵ barbātum habērem, labrum dē lūcernā oleō unguēbam. Ego tamen dominō meō satis faciēbam : sed taceō, quia nōn sum dē glōriōsīs. Cēterum, quemadmodum dī volunt, prīmus in domō factus sum, et ecce cēpī dominī cerebellum. Quid multa ? Cohaerēdem mē Caesarī fēcit, et accēpī patrimōnium lāticlāvium. Nēmō umquam satis habet. Concupīvī negōtiārī. Nē multīs vōs morer, quīnque nāvēs aedificāvī, onerāvī vīnō — et tunc erat contrā aurum — misī Rōmam. Omnēs nāvēs naufragium fēcērunt ! factum, non fābula. Unō diē Neptūnus trecentiēs sēstertium dēvorāvit ! Putātis mē defēcisse ? Nihil mehercle erat mihi haec iactūra : degustāvī : alterās fēcī nāvēs, fēcī māiōrēs et meliōrēs et fēliciōrēs, ut nēmō nōn mē virum fortem dīceret. Scītis, māgnā nāvis māgnam fortitudinem habet. Onerāvī rūsus vīnō, lārdō, fabā, mancipiūs. Hōc locō Fortunāta rem piam fēcit : omne enim aurum suum, omnia vestīmenta, vendidit, et mihi centum aureōs in manū posuit. Hōc fuit pecūliī meī fermentum. Cito fit, quod dī volunt. Aedificō domum, vēnālia coēmō iūmenta : quidquid tangēbam, crescēbat tamquam favus. Postquam coepī plūs habēre, quam tōta patria mea habet, manum dē tabulā : sustulī mē dē negōtiīs, et coepī per libertōs faenerārī. Et sānē mē exhortātus est mathēmaticus, Graeculus, cōsultor deōrum. Hīc mihi dīxit etiam ea, quae oblītus eram : ab aciā et acū mihi omnia exposuit : intestīna mea nōverat, tantum nōn mihi dīxit, quid prīdiē cēnāvīsem. Rogō, Habinnā—putō, interfuisti : quid dīxit ? ‘ Nēmō umquam tibi parem grātiā rēfert. Tū lātifundia possidēs. Tū vīperam sub ālā nūtrīs ’ — et nunc mihi restāre dīxit vītae annōs trīgintā et mēnsēs quattuor et diēs duōs. Praetereā cito accipiam hērēditātem. Hōc

⁵ Scilicet os, nomen vulgare, tanquam apud nos, “ My jib, my beak, my mug.” Lingua Hispanica “ rostro ” significat os.

mihi dicit Fātum meum. Quod sī contigerit fundōs Apuliae iungere, satis vīxerō. Interim dum Mercurius vigilat, aedificāvi hanc domum. Ut scītis, casula erat : nunc templum est. Habet quattuor cēnātiōnēs, cubīcula vīgintī, porticūs marmorātās duās, sūrsum cellās, cubīculum in quō ipse dormiō, vīperae hūius conclāve, ōstiārī cellam perbonam ; hospitium⁶ hospitēs capit. Et multa alia sunt, quae statim vōbīs ōstendam. Crēdite mihi, assem habeās, assem valeās : habēs, habēberis.⁷ Sic amīcus vester, quī erat rāna, nunc est rēx. Stiche, prōfer fērālia,⁸ et ex illā amphorā gustum, ex quā iubeō lavārī ossa mea.”

Nōn est morātus Stichus, sed et strāgulam albam et praetextam in triclinium attulit.

Iussit nōs temptāre, an bonā lānā essent cōfecta. Tum subridēns, “ Vidē tū,” inquit, “ Stiche, nē ista mūrēs tangant aut tineae : aliōquīn tē vīvum combūram. Ego glōriosus volō efferrī, ut tōtus mihi populus bene imprecētur.” Statim ampullam nardī aperuit, omnesque nōs ūnxit, et “ Spērō,” inquit, “ futūrum ut aequē mē mortuum iuuet āc vivum.” Nam vīnum quoque in vīnārium iussit effundī, et “ Pūtāte vōs,” ait, “ ad parentālia mea invitātōs esse.”

Ībat rēs ad summam nauseam, cum Trimalchiō novum acroāma,⁹ cornīcinēs, in triclinium iussit addūcī, extenditque sē super torum extrēmum, et “ Fingite mē,” inquit, “ mortuum esse. Dīcite aliquid bellī.” Unus praecipuē servus tam valdē intonuit, ut tōtam concitāret vicīniam. Itaque vigilēs, quī custodiēbant vicīnam regiōnem, ratī ardēre Trimalchiōnis domum, effrēgerunt iānuam subitō, et cum aquā secūribusque, tumultuārī suō iūre coepērunt. Nōs occāsiōnem opportunissimam nactī, tam celeriter quam ex incendiō fūgimus.

⁶ Deversorium, locus ubi hospites accipiuntur.

⁷ Ceteri te habebunt, vel aestimabunt, tanti, quantum habes.

⁸ Vestimenta et strata funeris.

⁹ Spectaculum, ἀκρόαμα.

V

SIC ITUR AD ASTRA

ME FABULOSAE VOLTURE IN APULO
NUTRICIS EXTRA LIMINA POLLIAE
LUDO FATIGATUMQUE SOMNO
FRONDE NOVA PUERUM PALUMBES
TEXERE MIRUM QUOD FORET OMNIBUS
QUICUNQUE CELSAE NIDUM ACHERONTIAE
SALTUSQUE BANTINOS ET ARVUM
PINGUE TENENT HUMILIS TARENTI
UT TUTO AB ATRIS CORPORE VIPERIS
DORMIREM ET URSIS UT PREMERER SACRA
LAUROQUE COLLATAQUE MYRTO
NON SINE DIS ANIMOSUS INFANS.

I. POLLIA ABIT

PUER parvulus sedēbat in tuguriō. Sōlus erat, nam nūtrīx Pollia abierat in pāgum, ut aliquid edendum quaereret. Sed iam iam abitūra, dīxerat sollemnī vōce, digitō minitāns, “ Manē hīc, dōnec redībō, verberō tū, puer minimī pretiī! Aufer nūgās, aufer tricās istās, nē Ursa veniat, dēvoretque tē crūdum!” Quibus dictīs, continuō abiit.

Sedēbat ille maestus et territus: prope erat Psittacus, viridī colōre avis, perticā insidēns.

Sed nōn diū sedēbat. Quid faceret? Sedēretne tōtum diem ōtiōsus, dum avēs vocant, arborēs vocant, sōl vocat? Ventilant eum aurae vernālēs, susurrant folia arborum “ Venī, venī!” Pīpilat Merula, “ Cum cibō cum quīquī, cum cibō cum quīquī!”¹ Crocit Cornīx, “ Cau cau! Cavē nē eās, cavē nē eās!” Sed pīpilat Luscinia mellitā vōce, “ Melculum melculum, dulce meum corculum, agedum agedum agedum, dēvolō-lō-lō-lō-lō dē summā pōpulō-lō-lō!” Et rē vērā dēscendit, dē rāmō in rāmum, dōnec sedet ipsa obvia portae, ubi iam stābat puer.

Merula cantat iterum, “ Cum cibō cum quīquī!” Dīxit puer, “ Cibus nōn est; ideō abiit Pollia.” Psittacus clāmat, “ Pulchra Pollia, pulchra Pollia!” Pergit puer, “ Sed quid ais, istud quīquī nōn intellegō.” Ad haec Psittacus, “ Quisquis quemquem quidquid quōquō quīquī.” Merula “ Sī cibus,” inquit, “ nōn est, quidquid est, dā! cum cibō cum quīquī!” Ad haec puer, “ Sed nihil est.” Cornīx monet iterum, “ Cavē nē eās, cavē nē eās!”

¹ Plautus, *Casina* 523.

II. LEPUS

SED puer nōluit monitum audire. Polliae immemor, exiit, circumspexit. Ecce nihil nisi montēs, arborēs, avēs, grāmina, rīvulus garrulus per glāream currēns. Avēs quasi perterritae ēvolant in superiōrēs rāmulo. Puer sēcum murmurat, “ Ubi est ursa? Non videō ursam. Nūgās! terrere voluit mē Pollia. Lūdāmus!” Lapidem dē terrā excipit, petit hōc, petit illud.

Subitō ērigit sē Lepus parvulus, aurēs arrigit, contentō obtūtū spectat. “ Quis tū,” inquit, “ quī ōtium meum turbās? Molestus es, abī!” Puer respondit, “ Quīntus sum, cibum petō.” Lepus irātus, “ At ego,” ait, “ non sum cibus, inquam! Sum lepus hercle vērō!” At puer, “ Nōlī mihi irāscī, lepuscule mī! Nōn tē volō, immō nōn cibum ā tē, sed lūdāmus scīlicet!” Cui Lepus, “ Aiō equidem: cursum currāmus. Vidēsne saxum illud, ad finem prāti, prope rīvulum? Videāmus curriculō uter sit prior!” “ Videāmus!” inquit, “ et ego sum praetor, dēmīttō mappam, signum certāminis!” Quō dictō, meminit sē mappam non habere; itaque folium exceptum prōtendit manū, dēmīttit—ēn uterque in cursū. Sed quid puer contra leporem? Oculi nictū, evānuit Lepus, relictus est puer in mediō.

Cōnsēdit Quīntus maestus: circumspexit, num quis alius vellet collūdere. Nēmō. Abierat Lepus, ne avēs quidem erant manifestae. Fortasse observābant ex locō quaeque suō, sed quālis est lūsor quem vidēre non possis? “ Heu,” inquit “ vel Psittacus melior est quam nēmo. An redeam?” Sed tugurium iam nōn videt: incipit tremere.

III. LACERTUS

DUM haec animō versat, ecce Lacertus in clūnibus sedet, clārīs oculīs prōspectāns. “ Salvē,” inquit, “ quisquis es : vidēris enim māior quam prō lacertōrum genere.” “ Quīntus sum equidem,” inquit, “ non lacertus. Sed utrum tu fēriās agis ? Tunica ista tam viridis ita me monet.” Cui ille, “ Minimē vērō, cibum quaerō ! ” Ad haec Quīntus, “ Et ego hercle vērō ! dā mihi aliquid precor, nam ideō mea Pollia iamdūdum abiit, et mē reliquit solum.” Lacertus “ Miseret me tuī ” inquit, “ sed cōpia est hic cibī quam maxima : ecce ! ” Quō dictō, longam ēmittit linguam, et muscam corripit. “ Ecce, prope tē sedet altera, pinguissima sane—corripe linguā ! ” Quīntus frontem contrahit, et irātā vōce reddit, “ Vah ! fui fui ! tuam muscam tibi habētō ! ” Ad haec Lacertus quasi perturbātus subitō mōtū evānuvit, et solum est iterum Quīntus.

IV. PAVO

Surgit, nescius quid faciat, vagatur hūc illūc per silvam ; donec tandem in saltum apertum pervēnit, ubi arborēs undique discesserant, et locum mollem gramine reliquerant. In mediō locō āles māgnus placidē sedēbat ; sed ubi Quīntum cōspexit, subitō caudam longissimam circum sē ērēxit, stābatque in mediō quasi circulō purpureō, quī cōsitus est mille oculis.

Hōc visū splendidissimō percussus, Quīntus summā admiratiōne exclāmāvit, “ Attatae ! deus est certē ! Sis mihi propitius, O quisquis es, nam nōmen tuum nesciō.” Ille respondit, “ Salvē, puer : deus nōn sum, sed Pāvō, volucrum splendidissimus.” “ Visne ” inquit “ mēcum lūdere ? Mea Pollia me reliquit, abiit in pāgum ut cibum quaerat, solum reliquit me, ut vidēs.” Ad haec Pāvō “ Quid est tibi nōmen ? ” “ Nōmen ” inquit “ est mihi Quīnto.” At Pāvō, “ Artem lūdendī nesciō equidem ; nōn lūdimus nōs pāvōnēs, spatiāmur per solum gradū sollemnī, pulchritūdinem nostram ostentāmus orbī terrārum.”

Quīntus adhūc spē falsus cōsēdit, et pulchritūdinem Pāvōnis admirābātur. Deinde incipit, “ Valdē admiror hunc apparātum oculōrum. Fieri nōn potest quān omnia videās, quae fiunt in orbe terrārum. Sī lūdere nōn vīs, dīc mihi fābulam aliquam, sī nōn est molestum, precor.” “ At quid,” inquit, “ tibi dīcam ? Multa enim vidī volventibus diēbus.” Cui puer, “ Sī nōn est molestum, dīc primum unde parāveris tot oculōs ? Duōs ego habeō, tū habēs mille in rotā istā purpureā.” Respondet Pāvō, “ Dīcam profectō, sī vīs, sed longa est fābula.” “ Tantō ” inquit “ melior : perge precor.” Continuō incipit Pāvō historiam suam.

V. FABULA PAVONIS

“ERAT aliquandō Bōs pulcherrima: immō quasi hūmāna Bōs, namque antea fuerat puella, quam oderat Iūnō, rēgina deōrum, ideōque mūtaverat eam in formam bovis; et huic bovī praefecerat custōdem, nōmine Argum, quī nōn tantum duōs habuit oculōs, sed mille oculōs per tōtum corpus dispersōs.”

“Ō dī immortālēs!” inquit Quīntus, “utinam eum vīdissem!”

“At ille,” inquit, “tē vīdisset mīliēns melius.”

“Sed quid sī eum dormientem vīdissem?”

“Nūgās agis. Crēdisne ita stupīdam fuisse Iūnōnem? Nempe ita ēgerat, ut aliī aliō tempore oculī dormīrent; numquam ūiversī simul. Itaque semper custōdiēbat custōs. Sed ad rem. Iūnō, ut dixī, oderat hanc puellam, sed Iuppiter amābat; nōn igitur Iovī placuit, quod in bovem mūtāverat tam dulcem puellam. Quid sī tē māter tua in vitulum mūtāvisset?”

“Vah, fierī nōn potest.”

“Itane vērō? Fortasse ideō tibi dedit Polliam custōdem.”

“At nōn habet Pollia mille oculōs.”

“Ita enim vērō: vidēret enim tē etiam nunc.”

“Hahahae! absēns absentem! An hōc facere potuit Argus?”

“Bene memorās, nōn hoc potuit. Sed redeāmus ad Argum. Argus, ut scīs, Bovem servābat; Iūppiter advocāvit Mercurium, pedisequum suum, et eundem filium, et iussit eum Argum interficere. Sed quōmodo?” Hīc pausam fēcit longulam. Tum Quīntus inhiāns, “Dīc precor!” Tandem caudam leviter movēns, Pāvō pergit.

VI. MORS ARGİ

“MERCURIUS igitur formam induit p̄astōris ; deinde quasi p̄astor, fistulā p̄astōriciā ornātus, grege ovium comitātus, Argum quaerēbat.”

“An eadem erat fistula, quā nostrī p̄astōrēs ūtuntur ? ”

“Eadem, septēnis compacta cannīs, quam ōrī appōnunt, deinde labellum superius prōtendunt, et in summās cannās inflant. Hāc fistulā ornātus, hūc illūc vagātur, et tandem ecce Argus, sub fāgō recubāns. — Salvē, inquit. — Salvē, ait, tū quoque ; at quis es tū ? — P̄astor sum, inquit, equidem licetne cōnsidere ? — Quidnī ? cōnsidās precor, et colloquāmur aliquantulum ; nam taedet mē iamdūdum. — Sed quid agis, bone vir ? — Illam servō bovem scīlicet, noctū et interdiū. — Ō dī immortālēs ! nē somnō quidem licet indulgēre ? — Nē somnō quidem. — At ille, Attat ! inquit, tamquam incrēdulus. Cui Argus, Ita mē dī ament ! Et grāmine residēns, nūdānsque umerōs, oculīs undique perspersōs, Ecce, ait, vigilēs meī ! Aliī vigilant, aliī dormiunt : nōne sum oculātum animal imprimīs ? Mercurius respondet, Enimvērō negārī nōn potest ; — tum quasi aliās rēs agēns, dum hōc mirāculum rērum contemplātur, fistulam labrīs appōnit, et carmen incipit modulārī.

“Ad haec Argus aurēs arrigit, sedetque palmīs innīxus, auscultāns tam novum carmen. Mox dulcitūdine percussus, ūnō et alterō oculō cōnivēns, mox plūribus, tandem somnō omnīno victus, clausis omnibus oculīs recumbit. Nec mora : Mercurius falce, quam sub veste tegēbat, arreptā, caput Argī abscindit. Iūnō autem quam maxime maerēbat mortem fidī suī custōdis ; itaque oculōs omnēs ex Argī corpore collectōs, in caudā meā disposuit, ex quō tempore avis Iūnōnia sum.”

Valdē placuit Quīntō haec historia ; sed misericordiā tactus, exclāmat, “Macte virtūte estō, mī Pāvō, sed miseret mē tuī, quod cum tot oculōs tibi Iūnō dederit, vōcis est oblīta. Dēbuit enim tibi dare et oculōs Argī, et dulcitūdinem fistulae.”

Ad haec Pāvō, non sine irā, “Pax ! impolītus es tū puer, et invenustus, quī vōcem meam culpēs. Nempe uxorcula mea

affirmat, nihil esse dulcius in orbe terrarum." Quibus dictis, in eō ipsō articulō temporis appāret quasi fuscum exemplar generis pavonini, sine magnā caudā, sine oculis, et stridentī vōce exclamāt — "Nihil est dulcius in orbe terrarum!" Proinde passis pennis in caelum āvolant ambō.

VII. POPULUS

IAM puer, incertis passibus vagābundus, dum nescit quid deinde faciat, ad marginem saltūs pervēnit, et consīdit prope ad pōpulum, quae ibi in aurās aeriās crēscēbat. Versābat mente quae audierat, et temere unguibus suis corticem pōpulī perstringēbat, cum subitō vōx est audīta — “ Parce, precor ! ” Saltū sē dat in pedēs, perterritus—circumspicit : nēmō ! Unde haec vōx ? Continuō quasi dē caelō iterum vōx est audīta, “ Nōlī timēre, corculum, exporrige frontem ; volnerābās tū quidem cutem meam, sed invītus, bene sciō, neque aegrē ferō.”

At ille — “ Quis tandem loquitur ? Num Pōpulus ? ”

“ Ecastor Pōpulus ! nōne vides ōs meum prope medium truncī ? ” Oculōs tollit : erat rē vērā quasi fenestella rotunda in mediō, unde iam vidēbātur iam vōx exīre. Respondit admirātiōne commōtus, “ Sed unde tū quoque vōcem invēnistī ? Vōcēs profectō emittunt avēs, pecudēs, iam arbores, fortasse lapidēs — omnia plēna vōcibus hodiē ! ”

Cuī Pōpulus, “ Nihil est quod mirēris, mī puer, nam fuī aliquandō virgō mortālis.”

Ille “ Quōmodo igitur ” inquit “ mūtāta es in arborem ? Pollia numquam sē mūtāt in arborem. — Sed ubi recordor, tenet illa in manū semper cōpiam māgnam virgulārum.”

At Pōpulus “ Sī vīs ” inquit “ narrābō tibi meam historiam. Est enim hodiē diēs mea nātālis ! ”

Quīntus reddit cum rīsū, “ Salvē, hodiē nāta ! Utrum mortālis an arbor nāta es hodiē ? ”

Ad haec Pōpulus, “ Utrumque : hodiē nāta sum mortālis, hodiē facta sum arbor, ēheu ! ” et dum loquitur, māgna lacrima rēsinae ex cortice emānat. Deinde vōce tremulā incipit narrātiōnem.

VIII. FABULA POPULI

“ FĪLIA sum Sōlis : trēs erāmus sorōrēs, et ūnus frāter, Phaethōn ; mihi est nōmen Phoebē. Ō frātrem temerārium ! ”
 Ēmānābant etiam duae lacrimae, super ōris fenestellam, ubi ferē oculī poterant esse. Quod dum contemplātur Faustulus, sēnsit ex ocūlis suis lacrimās ēmānāre bīnās. Pergit autem Pōpulus in hunc modum.

“ Quam nōbilis erat frāterculus noster ! quam ferōx, quam temerārius, ēheu ! Crēdēbat sē omnia posse ; et tam erat avidus glōriae, ut ipse Sōlis equōs agere vellet ! Dīxerat enim aliquis, summā contumeliā, Vah ! nōn es tū fīlius Sōlis ! Continuō ille patrem petit, quī eum salūtat, Salvē, mī fili ! Phaethōn patris genua amplexus, rogāvit, An ego sum tuus fīlius ? Dā mihi pignus, per quod crēdam ; nam negant hominēs ita esse. Respondit Sōl pater, Est vērūm, iūrō tibi per Stygem ! et quō facilius crēdās, pete mūnus quodvis, et mē dante feres. Cū Phaethōn, Dā mihi igitur currum tuum in diem ūnum, et moderāmen equōrum !

“ Sōl caput suum concutit, sōmmō dolōre cōfectus, et Ēheu ! inquit, temerāriam vōcem ! Sed prōmīsī, et prōmissa negāre nōn licet : utinam licēret ! Dissuādēre tamen licet : nam māiōra petis quam prō vīribus tuis. Nē Iūppiter quidem ipse posset agere sōlis equōs. Dūra est et difficilis via : non rēcta, nam necesse est nāvigāre inter mōnstra caelī, quī celerī volūmine circum volvuntur ; necesse est vītāre polum, necesse est retinēre equōs, nē prōnō cursū praeceps in ōceanum dēcidās. Mitte hōc precor, pete quīdvis aliud. — Sed Phaethōn surdus manēbat.”

Tum Quīntus, “ Eugepae ! vellem equidem haec mōnstra vidēre. Quaenam sunt, precor ? ”

IX. PHAETHON

AT Pōpulus, “ Audiēs ” ait. “ Postrīdiē Sōl maestō voltū filium ad currum suum dūxit ; monuitque postrēmō, Parce tū stimulis, ūtere fortius lōris : nam sponte suā properant, inhibēre labor est volentēs. Vēstīgia servā mea, nē errēs viā. — Ille adhūc superbus occupat currum, corripit habēnās. Sed equī mox sentiunt leve onus puerī, manūs inexpertās : feruntur praecipitēs hūc illūc, mōnstra caelī territant — Taurus mūgit, Leō rugit, Scorpius spīculō minitātur, omnia cōfūsa per caelum. Mox propius terram dēscendit : fervent flūmina, ardent silvae, omnēs incolae Africae, calōre nimiō tostī, nigrī sunt factī, et sunt nigrī hodiē etiam ! Mox consternantur equī sōlis, et colla eripiunt iugō, lōra abripiunt, fugiunt ad stabulum : frāter meus Phaethōn, īgne ardentibus capillis, volvitur in praeceps, et in flūmen dēmersus est. Corpus est sepultum ; et nōs sorōrēs ad sepulcrum stābāmus, lacrimantēs et pectora tundentēs nocte diēque. Tamdiu stābāmus, ut cum cōnārēmur movērī, non possēmus. Heu, inquit prīma soror, dēriguērunt pedēs ! Altera, Heu ! ait, nōn possum ad tē venīre, rādix enim est sub pede meō ! Et ego, ubi crīnēs laniāre voluī, frondēs dē capite āvellī ! Spectāmus alia aliam, vidēmus corpus fierī truncum, bracchia rāmōs, corticem succrēscere prō cute, dōnec pōpulī erāmus ; et prō lacrimīs, ut vidēs, rēsīna ēmānat ex oculōrum locīs, quae ubi dūrēscit, fit ēlectrum, rēs pretiōsissima. Cape tū lacrimam, et dā Polliae ; placēbit enim.”

X. ARANEA

QUINTUS excēpit ūnam lacrimulam; et rē vērā, erat dūrīor facta, perlūcida, aureō colōre, ornāmentum pretiōsum. “Grātiās” inquit “agō tibi, et fābulae causā māgnificae, et lacrimulae optātissimae. Utinam tālem ego sorōrem habērem! Sed quid ais?”

Nihil erat respōsum; neque poterat quidquam aliud audire. Fābula dicta est: finis. Ut temptābat ad eum locum ēscendere, quō ōs fuerat, imprōvisō capūt suum in māgnā arāneae tēlā implicuit: exclāmāvit “I in malam rem!” Nec mora, respōsum venit—“Mecastor in malam rem ivi iamdūdum.”

Vix est attonitus hōc respōsō, post tot mīrācula; reddit igitur, “Quis es tū? et ubi? nam nihil videō.”

Vōx respondit, “Sī ad angulum aspiciēs eius subtilissimae tēlae, quam tū tam crūdēlī modō dēstruxistī, vidēbis id quod restat fēminae miserrimae.”

Respicit ad eum locum; videt quasi globulum lutī; perspicit mox esse arāneam, textricem scīlicet hūius tēlae.

“Fēminae?” inquit, “fēminam videō nullam.”

“Sed fuī aliquandō virgō pulcherrima, artifex autem vaferima, quae invidiā deōrum in māgnū infortūnium incidī.”

“Praefiscinē! quid ais tu? invidiā deōrum? Invidentne igitur mortālībus immortālēs?”

“Invident vērō! sed audī. Clāra eram inter aequālēs, non genere, sed arte; namque in arte lānificā nēmō mē praeterire poterat. Lānam rudem glomerābam in orbēs, digitīs subigēbam, vellera molliēbam dōnec nebulās tactū aequābant: tum fūsum pollice versābam, dōnec fila tam subtīlia erant, ut vidērentur esse nihil nisi radii sōlis. Deinde stāmina iugō vinciēbam, subtēmen radiō medium inserēbam, tēlam texēbam. Postrēmō in tēlā factā, pingēbam acū imāginēs pulcherrimās rērum, et mīrābantur omnēs.”

“Ō dīvinum opus!” inquit, “libēns vīdissem et ego!”

“At Minerva mihi invidit; est enim Minerva textrix deōrum summa. Venit, me vocat in ceptāmen. Pingit illa

in suā telā magna deōrum facta, pingō ego in meā telā mala deōrum facta—”

“ Ō impium opus ! ” inquit.

“ Tum Minerva, irāta et invidiōsa, cōnscidit meās pictās vestēs, et radiō suō ter quaterve frontem meam percussit. Quis hōc contumeliam tolerāret ! Suspendi mē laqueō.”

“ Quid Minerva ? ”

“ Levāvit mē ipsa, dixitque, Vīve quidem, sed pendē tamen, improba ! Eadem sit lēx generi tuō, atque sēris tuis nepōtibus. —Extēplō mihi comae dēfluxēre, caput fit minimum, corpus rotundum, digitī longī et tenuēs, et facta sum Arānea, quae per tōtam vītam telam tenuissimam texō, quō muscās capiō, cibum meum vīlissimum.”

At Quīntus, “ Vah ! muscās ! nōn placent mihi muscae. Nūper suāsit mihi aliquis, tunicā viridī vestītus, ut muscam ēsem, sed nōluī. Ēsuriō tamen, Arānea mea ! Quid faciam ? adhūc morātur Pollia.”

Sed nihil iam respondit Arānea ; latēbat ut anteā in angulō, et ruptam suam telam contemplābātur ; deinde lentē prōgrediēbātur, et nova līcia ex corpore suō extrahere incipiēbat, puerī omnīnō immemor. Tantaene animīs tantulīs irae !

XI. BUBULCUS

QUINTUS autem aliquantisper sedēbat, incertus quid faceret ; mox pergēbat quaerere aliquid edendum. Bācās invēnit nōn nullās ; aliās quās cōgnōverat, edēbat, aliās ignōtās timēbat, sed quid valent bācae puerō ēsurgentī ? Polliam sānē nōn amābat, sed Polliam dēsiderābat quam maximē. “ Redī ” inquit “ mea Pollia, dum ēscam ferās ! ”

Dum haec facit, audiit murmur appropinquāns, vīditque in medium prōvolvēns plaustrum māgnū, quod trahēbant non minus septem validī bovēs ; primus ordō quattuor, secundus ordō duō, apex ūnus—quasi cuneus quīdam boum. Vīdit in plastrō sedentem hominem quasi rūsticum, prōmissā barbā, horridō capillō. Nōn tamen inhūmānus aliquis vidēbātur esse ; nam tōtō ōre arridēns, exclāmāvit, “ Salvē, mī puer ! quid agis sōlus in mediō ? ” Respondit Quīntus, quī bene erat institūtus, quod ad mōrēs attinet, “ Salvē tū quoque, quisquis es. Ego sum puer Quīntus, et ēsuriō quam māximē. Numquid fers edendum ? ” Respondit Bubulcus, “ Ferō, sed nōn tibi, mī puer. Pābula ferō scīlicet bōbus meis, et iam domum redeō. ” “ Quō tandem ? ” inquit. Respondit Bubulcus, “ In caelum scīlicet. ” At Quīntus, “ Fābulae ! ” Namque ita erat attonitus, ~~it~~ oblītus esset lepidē se gerere.

Rīdet etiam Bubulcus. “ Hahahae ! incrēdulus es, mī puer. Sed quō diūtius vīvis, eō plūra discis. Fortasse nescīs et hōc, esse caelum super tē ? ”

“ Immō ” ait “ hōc sciō, et videō— ” tollit oculōs in caelum. “ Sed domum tuam non videō. Lūdōs mē facis ! ”

Cuī Bubulcus, “ Quid ‘ domum ’ ? tōtum caelum est mihi domus. Ibi habitō, cum multīs aliīs, tamquam māgna familia in villā. Ut tū habēs supra caput teguriī tēctum, ita nōs suprā nostra capita ingentem fornicem caelī habēmus. ”

At Quīntus, “ Nōn intellegō, fornicem non videō, ” et oculōs ad caelum sustulit.

Cuī Bubulcus, “ Papae, simplex es. Nunc nihil potes vidēre, quia Sōl omnia suā lūce complet, nihil igitur vidēs nisi lūcem : sed noctū—tolle oculōs noctū ! quot mirācula rērum

vidēs ! Et noctū mē quoque vidēbis, in caelō circum euntem, cum plaustrō meō, et septem meis bōbus, quōs vocant Septemtriōnēs : semper circum volvor, sūrsum deorsum, sed numquam (ēheu) in undīs ōceanī lavārī possum. Itaque dum sōl lūcet, dum nēmō vidēre potest, in tellūrem ecce dēscendō, lavō mē in dulcissimis terrae rīvulīs, pābula quaerō bōbus meis. Nōne est bonum cōnsilium ? ”

Tum Quīntus, maestā vōce, “ Bene ” inquit “ tibi tū cōnsulis, sed nōn mihi. Et Pollia meī oblīta est sānē.”

Tum Bubulcus, “ Bonī sis animī,” ait, “ redībit Pollia. Intereā, quid sī nōs in caelum dēvertāmus, dēlectēmus nōs novīs rēbus videndis ? ”

“ Cau cau ! ” sonitus fit ex rāmō arboris. Ibi Cornīx sedēbat, et iterum “ Cau cau ! cavē nē eās, cavē nē eās ! Ipse enim ego ivī quō nōn dēbuī ire, vidī quod nōn dēbuī vidēre, dixī quod nōn dēbuī dīcere, et vidē quālis facta sim ! Eram alba tamquam nix, facta sum nigra tamquam carbō, iussa sum semper clāmāre ‘ carbō-nix,’ sed fessa iamdūdum clamāndō carbō-nix, primum clāmābam ‘ car-nix,’ posteā nōmen mihi dabant Cornīx, et nunc nihil clāmō nisi cau-cau.”

Quīntus obstupuit.

Ad haec Bubulcus, “ Vah ! abeat in malam rem, nihil est ad nōs illa quidem, garrulitās et praetereā nihil. Cedo manum, mī puer, cōscende, eāmus.”

XII. ITER PLAUSTRI

CONTINUŌ redit ad sē Quīntus, mentem recipit : “ Eāmus,” inquit, “ optimum erit istud quidem,” et in plaustrum cōscendit sine morā. In foenō mediō locum sibi commodum facit, iūcundē sē collocat ; deinde prōspicit—et dī immortālēs ! quid videt ? Per aurās lābēbātur plaustrum, septem bovēs natābant ! Vidistī tū canem in aquā, crēdō ? Crūra movet sūrsum deorsum, quasi trahēns aquam ad sē, et hōc modō iter facit : sic septem bovēs quasi trahēbant auram ad sē, et plaustrum postea ibat ! Infrā erat silva, infrā prāta, rīvulus, etiam tugurium haud procul, et Pollia velut parvula pūpa, bracchia tendēns in caelum ! Quintus exclāmābat,

“ Ecce Pollia ! numquid mihi invēnit edendum ? ”

Sed Bubulcus, “ Cavē nē cadās, mī puer ! Valeat Pollia, valeat paullisper ēsca. Nunc hanc rem age : vidēbis enim quae antea nēmō puer mortālis vīdit.”

XIII. MONSTRA CAELI

ET vĕra quidem nŭntiāvit. Vidēbant enim haud procul mōnstrum horrendum, ingēns, quasi tumulum in mediō āēre, rotundum, turgēscēns, fuscō colōre, armātum (ut ita dicam) testā dŭrissimā, velut aēneā : ex utrāque parte ēminēbat bracchium pingue, curvātum et ipse, cūius in fine erat forceps nigerrima. Hīs forcipibus iterum atque iterum crepitābat, et vidēbātur velle plaustrum, et bubulcum, et bovēs, et Quīntum ipsum, conterere in pulverem.

Exclāmāvit Quīntus, māgna vōce, “ Fidem deōrē obsecrō ! Quid nōbīs fiet, Bubulce ? ”

Cū Bubulcus subridēns, “ Nōlī timēre,” inquit, “ mī puer. Nihil malī faciet, nōn licet enim. — Ehō, dēliciae Cancrī ! quid agis ? Satin salvē ? ”

Respondet Cancer, “ Salvae pol rēs esse nōn possunt, ubi tū puerum mortālem in caelum portās, iniussū deōrum ! Dā mihi impium illum, ut forcipibus meis dem ēscam ! ”

At Bubulcus, “ Nūgās agis, ocelle mī. Hospes est mihi hīc quidem : dēsertus est a Polliā suā, nihil habet ipse edendum, at tū nōn es pollūctus pāgō ! muscās nōn amat, itaque quaerāmus quid sit in villā nostrā. Valē.”

“ At tū ” inquit “ male valē,” sed iam verba vix erant audienda ; intereā enim bovēs, strēnuē natandō, plaustrum procul traxerant. Nec bene reverterat in sē Quīntus, ubi alterum ecce mōnstrum : Leō saetīs horrentibus, latera caudā flagellāns, murmur ēmittit terricrepum. Susurrat Quīntus, “ Ō mī Bubulce ! Dēvorābit nōs hīc faucibus illīs hiantibus ! ” At Bubulcus, “ Minimē vērō : salūtātiōnem audīs leōnīnam, sic enim mōs est illī generī animālium. — Salvē tū quoque, dulce caput ! ” Quō dictō, manum dextram agit, tamquam signum amicitiae, et Leō invicem unguam agit dextram.

Ad haec sēcum murmurat Quīntus, “ Haec ea mōnstra sunt, quae vidit Phaethōn, dē quibus mihi narrāvit Pōpulus ! ”

XIV. VILLA CAELESTIS

NIHIL aliud vidēbant, nisi ex longinquō Scorpionem, quī caudam movēbat quasi minitāns, et asperginem venēni in aurās emittēbat; tandem appropinquāre vidēbantur villae. Cōspicitur villa haudquāquam incommoda, stabulum, horrea, sed nē ūna quidem arbor, nūlla grāmina, nūllae aristae, nūllus rīvulus. Cōspiciēbātur tamen circum marginem caeli flūmen longum, undique scintillāns.

Quīntus exclāmāvit—“ Ecce Ōceanus ! ”

Bubulcus respondit, “ Nōn est Ōceanus; flūmen nostrum, quod circum caelum fluit, tamquam alter Ōceanus, nōminātur Via Lactea; potes tū ā terrā vidēre noctū. Sed procul est hercle.”

Iam ad locum pervēnērunt. Allūdēbant circum villam Haedī aliquot, et Vergiliae, et Sūculārum grex; ūnus autem Olor in nūbe liquidā sedēbat, sicut apud nōs in lacū sedent olōrēs. Ariēs quoque māgnus aderat, et Caper, et Taurus, et Aquārius cum urnā. Recubābant sub tegmine crassae nūbis Sagittārius, et iuvenēs duo, quōrum equī faenum mandūcābant, ab horreō Bubulcī dēprōmptum.

Bubulcus bovēs continuit, dēscendit, disiūnxit bovēs ab iugō, dūxit ad stabulum, servōs vocāvit — “ Ecquis urget opus? ecquis hōc faenum ad horrea? — At tū, Quīnte mī, cōnsīde hīc in nūbe valdē solidā, nōlī timēre. Salvus es, dum nōn dē margine cadās. Cōnsīde, cōnsīde! — Et vōs, populārēs, satin salvae rēs? ”

Conclāmant omnēs, “ Salvae: an tū bene ambulāvistī? ” “ Quidnī? ecce faeni cōpia, ecce plaustrum, ecce hospes.” Ad haec iuvenēs, “ Optātus venīs, hospes. Non saepe mortālēs in hunc locum accipimus. Quem novissimē? quis meminit? ” Ad haec Sagittārius, “ Ōriōn,” inquit, “ novissimus vēnit, crēdō. Sed abest, ut scītis, cum canibus, Leporem vēstigāns per caelestia templa.”

Adhūc tacitus sedēbat Quīntus, novitāte rērum attonitus; sed ubi erat silentium factum, “ Salvēte,” inquit, “ et bene sit vōbīs. Numquid est edendum? ”

Hīs dictīs, omnēs obstupefactī alius alium aspectābant. “ Quid, edendum ? ” ait aliquis. “ Vereor nē ambrosia nostra nōn sit facilis concoctū mortālibus. Numquid est tibi lactis relictum, Aquārī ? ”

Respicit in urnam Aquārius. “ Inest sānē aliquid ” inquit, “ quod hodiē māne hausī ex Viā Lacteā, ” et urnam puerō obtulit.

Quīntus inspexit : “ Bene vocās, ” inquit “ tū quidem, sed nihil cōspiciō, nisi parvās aliquās stellās. ”

Prope erat iam ad lacrimās Quīntus noster : cēterī cōsternātī, sī hospitī placēre nōn possent. Etiam magis cōsternātī erant, cum Quīntus subitō ex nūbe suā surrēxit, exclāmāns— “ Ursa ! ut dīxistī, Pollia ! ” Nam converterat oculōs ad angulum āreae, et ibi vīdit Ursam māiōrem polum ēscendentem, Ursam minōrem ē solō sūspicientem. Horribile visū, Quīntus contremuit — animō male fit — titubat — dē nūbe deorsum cadit, et nōn est visus.

XV. SIC ITUR AD TERRAM

DEINDE est cōsternātiō et conturbātiō per tōtum caelum. Dē margine nūbis dēspiciunt omnēs : ēn Quintum, puerum infēlicem, per aurās dēcidentem, tamquam pilam. Continuō exclamāvit Bubulcus, “ Ad equōs, Castor, Pollux ! volāte, excipite — hospitem nostrum referte Polliae, salvum et sōspitem ! ”

Dictum, factum : cōscendunt equōs Geminiū immortalēs, sē immergunt in aurās, dēvolant fulgure citius, cōsequuntur, subter sēdulō sē suppōnunt, excipiunt cadentem — salva rēs est ! Iam cursus erat mollior quam somnus ; et rē vērā, somniāre vidēbātur Quīntus, clausīs oculīs. Ad terram perveniunt, puerum lēniter depōnunt sub tegmine fāgī. Deinde sēse in caelum recipiunt.

Hīc iacēbat Quīntus, attonitus scīlicet et dēfatigātus ; āc palumbēs eum foliīs laurī myrtīque insternēbant, nē frīgora contraheret.

Hīc eum invēnit haud ita multō post ipsa Pollia. Nam cum revertisset ad tugurium, nūllum vīdit Quīntum. “ Heus Quīnte ! ubi latēs, Quīnte ? āh, videō tē, fraus populī ! ” Sed non rē vērā vidēbat ; et nihil audīvit nisi psittacum garrientem “ Quīnte Quīnte Quīnte ! ” Quaerit hūc, quaerit illūc — nihil. Diū vagātur, iam māgnō timōre affecta, dōnec tandem ecce Quīntum, sub cumulatis foliīs placidē dormientem.

Quam laetam nunc crēdis fuisse Polliam ! Excipit alumnum suum, domum revenit, cantāns “ Lalla, lalla, dormiās, animule mī ! ” Et ubi ad tugurium pervēnit, tum dēmum oculōs aperit Quīntus, exclamātque, “ Edendum numquid habēs, Pollia mea ? ” Psittacus respondet, “ Cum cibō cum quīquī, cum cibō cum quīquī ! ”

Sed edendum quid non dedit Pollia alumnō suō ! “ Itane vērō ” inquit, “ tēne salvum dormire ab ursīs et vīperis ! Ō animōse infans ! ” At Quīntus cachinnāns, “ Ohō, ” inquit, “ Pollia mea ! Ursam vīdī polum scandentem, sed nōn mē dēvorāvit crūdum, ut tū dixistī. ” Tum Pollia “ Fābulās ! ” ait, “ quid tu narrās de ursīs et polis ? ”

Deinde tōtam rem Polliae narrāvit ; et rē narrātā, “ Èn ” inquit, “ testis narrātiōnis meae,” porrigitque lacrimulam rēsinae, quam dederat Pōpulus.

An gaudēbat Pollia hōc donō ? Summā admirātiōne percussa, grātiās reddidit deīs immortālibus ; et dum hanc narrātiunculam vicinīs recitat, semper addit ad finem,

“ Nōn sine dīs animōsus infāns.”

GREEK PROVERBS

GREEK PROVERBS

- Αβρωνος βίος*: a life of luxury.
ἀγαθὴ καὶ μᾶζα μετ' ἄρτον: half a loaf . . .
ἀγαθῶν θάλασσα: a sea of blessings.
ἀγαθῶν μυρμηκία: an ant-hill of blessings.
ἄδακρυς πόλεμος: a walk over.
ἀεὶ γεωργὸς ἐς νέωτα πλούσιος: the farmer is always rich next year.
ἀεὶ κολοῖὸς ποτὶ κολοῖὸν ἰζάνει: birds of a feather . . .
ἀεὶ τὰ πέρυσι βελτίω: *laudator temporis acti se puero*.
αἰγιαλῷ λαλεῖς: you talk to the sands.
αἵματι κλαίειν: to weep tears of blood.
Αἰθίοπα σμήχειν: to wash a negro.
αἰξ τὴν μάχαιραν: to cut your own throat (the goat found its own knife).
αἰξ οὐπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματι παίζει: count your chickens . . .
αἰροῦντες ἠρήμεθα: caught a Tartar.
ἄκρον λάβε, καὶ μέσον ἔξεις: well begun . . .
ἄλλην δρῦν βαλάνιζε: shake another oak for acorns.
ἄλλ' οὐκ αὖθις ἀλώπηξ: once caught, twice shy.
ἄλῶν δὲ φόρτος ἔνθεν ἦλθεν, ἔνθ' ἔβη: to spend your money on yourself (from a tale in which a load of salt was melted in passing a river).
ἄλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα: diamond cut diamond.
Ἄμαλθείας κέρασ: horn of plenty.
ἄμαξα τὸν βοῦν ἔλκει: cart before the horse.
ἄμ' ἔπος, ἄμ' ἔργον: suit the deed to the word.
ἄμμες ποτ' ἦμες (ἄλκιμοι Μιλήσιοι): we were strong once.

Youth and age (three groups of speakers).
ἄμμες ποτ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι.
ἄμμες δέ γ' ἐσμέν, αἱ δὲ λῆς, πείραν λαβέ.
ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάρρονες.

ἄμμον μετρεῖν: to measure the sand.

ἀνδρὶ προίκτη αἰδῶς οὐκ ἀγαθή: when want is by you mustn't be shy.

ἄνθρακες θησαυρός: fairy gold (from a fairy tale).

ἄνθρωπος εὐριπος: man's a weathercock (from the Euripos channel).

ἀντλεῖν ἀμφοτέραις [χερσίν]: with all your might.

ἄπληστος πίθος: of a greedy eater.

ἀπὸ γραμμῆς: from scratch.

ἀπὸ κώπης ἐπὶ βῆμα: from cabin-boy to admiral.

ἀπὸ Ναυνάκου: from Noah's day.

ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνον: from riches to poverty.

ἀφ' ὑψηλοῦ μου καταγελαῶς: de haut en bas; from a safe place.

αὐτὸς ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος: a sword in sight draws men to fight.

Ἄρεοπαγίτης: a grand Panjandrum, a solemn and pompous person.

ἄρτι μῦς πίσσης γεύεται: a first taste of misfortune.

ἀρχὴ ἤμισυ παντός: well begun . . .

ἀστραπή ἐκ πυέλου: flash in the pan (lightning in the trough).

αὐτὸς αὐτὸν αὐλεῖ: blows his own trumpet.

βάλλ' ἐς μακαρίαν: go to blazes.

Βάπτου σίλφιου: el Dorado (from the silphium of Cyrene).

Βεκκεσέληνος: antediluvian.

βοῦς ἐπὶ γλώττης: lips are sealed.

γάλα ὀρνίθων: birds' milk.

γέρων ἀλώπηξ οὐχ ἀλίσκεται πάγη: an old bird . . .

γλαυῆς εἰς Ἀθήνας, γλαῦκ' Ἀθήναζε: coals to Newcastle.

γράμματα Βελλεροφόντης διεκόμισεν: carried his own death-warrant (see the Dictionary of Mythology).

γραῶν ὕθλος: old wives' tale.

Γύγου δακτύλιος: magic ring (see Gyges).

γυμνότερος παττάλου: as bare as a peg.

δέκα τοῦβολου: ten a penny.

δέλφινά λεχάνη οὐ χωρεῖ: no room in a dish for a dolphin.

δέλφινά νήχεσθαι διδάσκεις: teach your grandmother . . .

δεύτερος πλοῦς: second string.

δικτύω ἄνεμον θηρᾶν: to catch wind in a net.

Διὸς Κόρινθος: the same old story (see Dict.).

δὶς παῖδες οἱ γέροντες: second childhood.

δόρυ καὶ κηρύκειον: iron hand in velvet glove.

δραχμῆς μὲν αὐλεῖ, τεττάρων δὲ παύεται: sings for a penny and stops for a pound.

ἐγὼ δὲ καὶ σὺ ταῦτόν ἔλκομεν ζυγόν: in the same boat.

εἰ καὶ λύκου ἐμνήσθης: talk of the devil . . .

εἰς μελίττας ἐκώμασας: hornets' nest.

ἔκτος πηλοῦ πόδας ἔχειν: out of the wood.

ἐκ τριχὸς κρέμαται: hangs by a hair.

ἐκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ: against your will.

ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιεῖν: mountain out of molehill.

ἔμπροσθεν κρημνός, ὄπισθεν λύκοι: between the devil and the deep sea.

ἐν ἀνθ' ἐνός: tit for tat; one good turn deserves another.

ἐνδύεται τὴν λεοντῆν: preparing for a great task; or, giving oneself airs (from Heracles and the lion's skin).

Ἐνδυμίωνος ὕπνος: see Endymion in Dict.

[ἔνεστι] κὰν μύρμηκι χολή: a worm will turn.

ἐν καρὶ τὸν κίνδυνον: experimentum fiat in corpore vili.

ἐν οἴνῳ ἀλήθεια: in vino veritas.

ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μαυθάνειν: to begin at the wrong end.

ἐν τοῖς ἑαυτοῦ δικτύοις ἀλώσεται: hoist with his own petard.

ἐν τριόδῳ εἰμί: at the crossways.

ἐξ ἄμμου σχοινίου πλέκεις: to weave a rope of sand.

ἐξ ὄνουχου τὸν λέοντα: ex pede Herculem.

ἔξω βελῶν καθῆσθαι: out of range.

ἔοικα βουῆς ἐπὶ σφαγὴν μολεῖν: lamb led to slaughter.

ἐπὶ ξυροῦ, οἷ ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆ: on the razor's edge.

ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὀρμῆι ἀγκύρας: to hang together.

ἐπιχώριοι οὖρον ἴσασιν: the man on the spot knows the wind.

εὐγενῆς ἐκ βαλαντίου: his purse is his pedigree.

εὐμεταβολώτερος κοθόρνου: weathercock, turncoat.

ἔρρει τὰ κᾶλα: the applecart's upset, all's up.

ἐρρίφθω κύβος: let the die be cast.

ἔφυγον κακόν, εὖρον ἄμεινον: the cloud has rolled by.
 ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα: eschew an enemy's gifts.

ἡ κέρκος τῆ ἀλώπεκι μαρτυρεῖ: cloven hoof.

ἡ κύων ἐν τῆ φάτνῃ: dog in the manger.

ἦλιξ ἦλικά τέρπει: birds of a feather . . .

ἦλω τὸν ἦλον: set a thief to catch a thief.

ἡμετέρος ὁ πυραμοῦς: we take the cake.

ἢ τρίς ἐξ ἢ τρεῖς κύβοι: win or lose it all.

θαλάττης χόες: count the drops of water.

ἱερὰ ἄγκυρα: a very present help in trouble.

Ἴλιὰς κακῶν: a sea of troubles.

Κάδμεια νίκη: victory bought too dear.

κακὰ μὲν θρῖπες, κακὰ δ' ἵπες: six of one, and half a dozen of the other.

κακοῦ κόρακος κακὸν ῥόν: like father, like son.

Κάριος αἶνος: a dilemma. The fisherman says, If I dive in, I shall freeze: if I stay out, I shall starve.

Καρπάθιος τὸν λαγῶν: to invite your own destruction (the Carpathians imported the hare, as the Australians did the rabbit).

κατὰ ροῦν φέρεται: plain sailing.

κνίψ ἐκ χώρας: hops away like a maggot.

κοινὸς Ἑρμῆς: shares in a find.

κοινὰ τὰ τῶν φίλων: shares among friends.

κορώνη τὸν σκορπίον [ἤρπασεν]: caught a Tartar.

κύκνειον ἄσμα: swan-song.

λάθε βιώσας: happy is he that has no history.

μηδὲν ἄγαν: nothing to excess.

μὴ κίνει Καμάριναν: let sleeping dogs lie.

μὴ λόγους ἀντ' ἀλφίτων: fine words butter no parsnips.

νόμος καὶ χώρα: each place has its ways.

ξυρεῖ ἐν χρῶ: cuts to the quick.

οἰκοθεν ὁ μάρτυς: condemned out of his own mouth.

οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος: there's no place like home.

ὁ Κρῆς τὸν Κρῆτα: diamond cut diamond.

ὁμοιότερος σύκου: as like as two peas.

ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον· ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει: how an ass receives a tale.

οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον: nothing to do with the case (see Dict.).

οὐδὲ πυρφόρος ἐλείφθη: annihilated, not even a hanger-on was left.

οὐδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο: two to one is one too many.

οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς: not everyone can go to Corinth.

οὗτος ἄλλος Ἡρακλῆς: another Richmond in the field.

οὐ φροντὶς Ἴπποκλείδῃ: Hippocleides don't care! (see Herodotus).

παθήματα μαθήματα: experientia docet.

πάντα κάλων σείειν: let out every reef.

πάντα λίθον κινεῖν: leave no stone unturned.

πάππος ἀκάνθης: thistledown, a nothing.

παρῶν ἀποδημεῖς: wits a wool-gathering.

πίθηκος ἐν πορφύρα: Sir Gorgius Midas.

πίθηκος ὁ πίθηκος κὰν χρυσᾶ ἔχη σάνδαλα: Sir Gorgius Midas.

πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χεῖλεος ἄκρου: there's many a slip . . .

πολλῶν ἀχύρων ὀλίγον καρπὸν ἀνήγαγον: much cry and little wool.

πολύπους ὥσπερ πέτρας ἔχεται: sticks like a limpet.

πρὶν ἐσφάχθαι δέρεις: you're counting your chickens . . . first catch your hare . . .

πρὶν πτίσαι, τὰ ἄλευρα: the same.

πυραύστου μόρος: the moth in a candle.

ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω: it is easy to be wise after the event.

σαρδάνιος γέλως: a forced or pretended laugh.

Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει: make the best of a bad bargain.

σποδὸν φεύγων εἰς πῦρ ἐμπέπτωκα: out of the frying-pan into the fire.

σὺν δορὶ σὺν ἀσπίσιν: with all your force.

τὰ ἀπὸ τριπόδος: gospel truth.

τὰ ἐξ ἀμάξης: Billingsgate language.

τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγω: call a spade a spade.

τάλαντα Ταντάλου: fabulous riches, τὰ Ταντάλου τάλαντα τανταλίζεται.

Ταντάλου κῆπος: starving amidst plenty.

τετρὰς καὶ νουμηνία: highdays and holidays.

τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα: keep to yourself.

Τιθωνοῦ γῆρας: as old as Methuselah.

τὸν ἀφ' ἱερᾶς κινεῖν: to move your last man, the last desperate effort.

τὸν περὶ τῶν κρεῶν δραμεῖν: run for your life.

τρυγόνος λαλίστερος: chatters like a pigeon.

ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος: a scorpion under every stone.

ῥυδρας κεφαλὰς τέμνεις: Hydra's heads (see Heracles in Dict.).

ὅς πρὸς Ἀθηνᾶν ἐρίζων: sus Minervam.

φαγέτω με λέων, καὶ μὴ ἀλώπηξ; if I must die, let a worthy man kill me.

χαλεπὰ τὰ καλά: good things are hard.

χειρ χεῖρα νίξει: you roll my log, I roll yours.

ᾧδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέτεκεν: parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

LATIN PROVERBS

LATIN PROVERBS

ab Iove principium:	begin with Jove, the proper and traditional opening of a poem.
acu rem tangere:	to hit the nail on the head.
acum quaerere:	to look for a needle (in a haystack).
ad amussim:	to a T.
ad consulatum a caliga:	from private to field-marshal.
addere cornua alicui:	give strength.
ad incitas redactus:	<i>τὸν ἀφ' ἰερᾶς κινεῖν</i> , in the last ditch, to make your last move.
advorsum stimulum calcare:	to kick against the pricks.
adverso flumine niti:	row against the stream.
ad restim res redit:	to a desperate state.
alias res agere:	to be inattentive.
altera manu fert lapidem, altera panem:	the iron hand in the velvet glove.
anser inter olores:	a goose in swan's feathers.
aquilae senectus:	an eagle's age, <i>i.e.</i> , as old as a rook.
aquam a pumice postulare:	to ask water of a stone.
arcem facere ex cloaca:	make a mountain out of a molehill.
auribus teneo lupum:	I can neither let go nor hold him: caught a Tartar.
aut bibat, aut abeat:	<i>ἢ πιθι ἢ ἀπιθι</i> . Do at Rome as the Romans do.
Babylo:	a nabob.
barbam vellere mortuo leoni:	to beard the lion when he is dead.
bis ad eundem (lapidem offendere):	only a fool stumbles twice at the same stone.
bonus animus in mala re:	good heart in a bad cause, worthy of a better cause.

caelum non animum mutare:	change of air is not change of mind.
calcar equo subdere:	to spur on.
cantilenam eandem canere:	to sing the same old tune.
canis caninam non ēst:	dog does not eat dog.
canis a corio non absterrebitur:	you can't keep a dog from the skin, once he has tasted it.
clitellae non bovis onus:	the packsaddle does not suit every back.
colubra restem non parit:	like father, like son.
cornu copiae:	horn of plenty.
corpore effugere:	to dodge a blow, to escape with the skin of your teeth.
cras credo, hodie nihil:	I will believe that to-morrow, not to-day, thank you.
crassa (or pingui) Minerva:	with a gross and dull wit.
cuiusvis hominis est errare:	it is human to err.
cursu lampada tibi trado:	I hand on the torch to you (in the race).
de caelo in caenum:	what a fall was there! from heaven into the mud.
de stipula grandis acervus erit:	every little makes a mickle.
de suo (vel alieno) corio ludere:	I pay for my play (or you pay for my play).
dictum sapienti sat est:	a word's enough for the wise.
digito caelum attingere:	to touch the skies.
digitum transversum discedere:	a finger's breadth.
dignus quicum in tenebris mices:	honest enough to play flash-finger in the dark.
domi versura fit:	I help myself.
dimidium facti, qui bene coepit, habet:	well begun is half done.
doctum docere:	teach your grandmother.
domi leones, foris vulpes:	lion at home, fox abroad.
dulce est desipere in loco:	'tis pleasant to play the fool at the proper time.
dum excusare credis, accusas:	qui s'excuse, s'accuse.

(fabula) cui neque pes neque caput comparet:	a story with neither head nor tail.
faece tenus, usque ad faecem:	to the dregs.
faenum habet in cornu:	he's mad.
fas est et ab hoste doceri:	one may learn from an enemy.
flamma fumo est proxima:	no smoke without fire.
fortes fortuna adiuvat:	fortune helps the brave.
frenum mordere:	to take the bit between your teeth.
frons domini occipitio prior est:	the master's eye is better than his back.
fundamentum in aqua ponere:	to build a house on the sand.
gallinae filius albae:	son of a white hen, <i>i.e.</i> , child of fortune, fine fellow.
gallus in sterquilinio pluri- mum potest:	a cock is lord on his own dung- hill.
gloria virtutis umbra:	glory is the shadow of merit.
gutta cavat lapidem:	falling drops wear the stone.
hac lupi, hac canes:	between two fires.
haeret in salebra:	bogged.
herbam do:	I own myself beaten.
homo bulla:	man's a bubble.
hamum vorat:	he swallows the hook, I have him.
harenas numerare:	to count the sand on the sea- shore.
hinc illae lacrimae:	hence these tears.
hospes trium dierum odiosus:	you hate a friend at three days' end, three days of a friend (in your house) make him a foe.
Ilias malorum:	a world of troubles.
imperia Manliana:	rod of iron.
in aëre aedificare:	castles in the air.
in aurem utramvis dormire:	sleep quiet in your bed.
incubare thesauro (gasis, auro):	to sit like a hen on your gold.
incudem eandem diem noc- temque tundere:	the same story, to din it in.

in eadem esse navi:	in the same boat.
in foveam decidere:	to fall into a well.
in medio luto esse, iacere:	to be in the mud, in the soup.
in scirpo nodum quaerere:	to look for knots in a cane.
in vino veritas:	truth's in the wine.
invita Minerva:	against the grain.
ioca seria (<i>or</i> , seria ac iocos) cum aliquo agere, celebrare, miscere:	to share jest and earnest with a friend.
ira initium insaniae, ira bre- vis furor est:	anger is brief madness.
Iro pauperior:	poor as Job.
iucundi acti labores:	it is pleasant to think of troubles past.
iugum ferre pariter:	bear your fate.
lac gallinaceum:	hen's milk.
lacrima nihil citius arescit:	a tear dries quicker than any- thing.
lanatos pedes dei habent:	come slowly, because fettered.
lapides flere cogere:	make the very stones weep.
lapides loqui:	to speak stones, hard words.
largitio fundum non habet:	bribery has no bottom.
laterem lavare:	to wash a red brick.
laudari a laudato viro:	to be praised by a man whom others praise.
leges bonae ex malis moribus procreantur:	good laws come from bad morals.
leges silent inter arma:	laws are silent amid arms.
lepus es, pulpamentum quaeris:	you seek what you have.
littus arare:	plough the sand.
lolio victitare:	to be blind or short-sighted.
lupos apud oves linquere, sc. custodes:	set a wolf to guard the sheep.
lupus in fabula:	talk of the devil . . .
male partum ^a male disperit: ^{dilabuntur}	ill-gotten, ill-spent.
manibus compressis sedere:	idle.
manibus pedibusque facere:	with all your might.
manus manum lavat:	log-rolling.

modo egressus repente dicit
meum ferrum in igne est:

modo sic, modo sic:

mu facere; muttire, neque
dico nec facio mu:

nemo scit, ubi saccus me pre-
mat:

neque lac lactis similis:

ne quid nimis:

ne sutor supra crepidam:

nihil agendo homines male
agere discunt:

non aqua aquae similis:

non lutum est lutulentius:

non satis una tenet ancora
navem:

novit tamquam unguis digitos-
que suos:

novum cribrum novo paxillo
pendeat:

nucleum amisi, reliqui puta-
mina:

nugae, tricae, quisquiliae:

numquam temere tinnit tin-
tinnabulum:

oleum igni addere:

pares cum paribus (facillime
congregantur):

par pari dare (referre):

parturiunt montes, nascetur
ridiculus mus:

per aequa, per iniqua:

pomparum ferculis similes:

praesens absens est:

plane ac latine loqui:

prius pariet locusta Lucam
bovem:

my iron is in the fire,
take things as they come.

not a mutter; to mumble.

no one knows where the shoe
pinches (*lit.* the pack galls
me).

as like as two peas.

nothing too much.

let the cobbler stick to his
last.

Satan finds some mischief
still for idle hands to do.

as like as two peas.

no mud is muddier.

better have two strings to
your bow.

knows it as well as he knows
his own fingers.

do not put new wine in old
bottles.

lost the kernel and kept the
husk.

trifles, rubbish.

where there's a ring there's a
bell.

to add oil to the fire.

birds of a feather flock to-
gether.

tit for tat.

the mountain is in labour, and
brings forth a mouse.

by hook or by crook.

slow and pompous.

wits a wool-gathering.

to talk plain English.

before that, a locust will breed
an elephant.

proba merx facile emptorem reperit:	good wares soon find a buyer.
proximus sum egomet mihi: pulverem ob oculos aspergere:	charity begins at home. to throw dust in one's eyes.
qui bene latuit, bene vixit: quod Juno fabulata est cum Iove:	happy he who has no history. he knows what Juno gossiped to Jove.
quod licet Iovi, non licet bovi:	what Jove may do, an ox may not do.
quot homines, tot sententiae:	many men, many minds.
rem (hominem) averrere (ab aliquo), converrere, cum pulvisculo:	bag and baggage.
res ad triarios rediit:	we have our backs to the wall.
Saturnia regna:	golden age.
semel unum singulum esse (scire, nescire):	that once one is one, twice two is four.
si libet, licet:	my will is my law.
silice stultior (or lapide):	more stupid than a stone.
simul flare sorbereque haud factu facile est:	it is not easy to blow out and suck in at one breath, blow hot and cold.
sine sacris hereditas:	a godsend without any draw- backs.
strabones holera spectant, lardum tollunt:	squint at a carrot and steal a ham.
summum ius, summa iniuria:	perfect law, perfect wrong.
suo aliquem gladio iugulare:	hoist with his own petard.
susque deque fero:	it's all one.
tanti es, quantum habes:	you are worth what you've got.
terrae filius:	a nobody.
trabali clavo figere:	fast fixed.
transire lineas:	to go too far.
tu pone te lates:	stand in your own light.
ut sementem feceris, ita metes:	as you sow, you shall reap.

^Avacat ^Alegere:

where there's a bad vintage,
there's time to gather it (*or*
to read, *a popular pun*).

vae victis:

woe to the conquered.

vehementius latrat, quam
mordet:

his bark is worse than his bite.

velim nolim:

willy nilly.

vel legioni sat est:

enough for an army.

velum: utcumque est ventus,
exim velum vertitur,—
plenis velis navigare,—
vela contrahere:

metaphors as in English, ap-
plied as desired.

versari in labris primoribus:

on the tip of the tongue.

versura solvere:

rob Peter to pay Paul.

vigilans dormit:

he sleeps with his eyes open.